




HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
19 September, 1884.

ZU DEN

AM SCHLUSSE DES SCHULJAHRES 1877/78 STATTFINDENDEN

OEFFENTLICHEN SCHULFEIERLICHKEITEN

DES

STAEDTISCHEN GYMNASIUMS

UND DER MIT DEMSELBEN VERBUNDENEN

REALSCHULE I. ORDNUNG

LADEN EHRERBIETIGST UND ERGEBENST EIN

DER DIRECTOR UND DAS LEHRERCOLLEGIUM.

INHALT:

1) APULEI DE DEO SOCRATIS LIBER. EDIDIT. CHR. LÜTJOHANN.
2) SCHULNACHRICHTEN. VOM DIRECTOR DR. FR. STEINHAUSEN.

GREIFSWALD.

DRUCK DER UNIVERSITÄTS-BUCHDRUCKEREI VON F. W. KUNIKE.

1878 Progr. № 108.

APULEI PLATONICI MADAURENSIS

DE DEO SOCRATIS

LIBER.

EMENDABAT ET ADNOTABAT

CHRISTIANUS LÜTJOHANN.

M codex Monacensis 621.
M^1 idem ab ipso librario correctus.
M^2 idem ab altera manu correctus.
F codex Florentinus, olim Marcianus 284.
F^1 idem ab ipso librario correctus.
F^2 idem ab altera manu correctus.
O codicum, Monacensis et Florentini, consensus.
|| || *his lineis circumscripsi quae praeter codicum fidem addita sunt.*
[ ] *his uncis inclusi quae delenda esse censeo.*

Qui me voluistis dicere ex tempore, accipite rudimentum post experimentum. 1
quippe prout mea opinio est, bono periculo periculum faciam, postquam mire probata medi- 104
tata sunt, dicturus incogitata. neque enim metuo, ne in frivolis displiceam, qui in gra-
vioribus placui. sed ut me omnifariam noveritis, etiam in isto, ut ait Lucilius, schedio
[et] incondito experimini, an idem sim repentinus, qui praeparatus; si qui tamen vestrum
nondum subitaria ista nostra cognostis. quae scilicet audietis pari labore [quo scribimus] 2
venia propensiore [quam legimus]. sic enim ferme adsolet apud prudentes viros esse in
operibus elaboratis iudicatio restrictior, in rebus subitariis venia prolixior. scripta enim 105
pensiculatis et examinatis, repentina autem noscitis simul et ignoscitis: nec iniuria. illa
enim, quae scripta legimus, etiam tacentibus vobis talia erunt, qualia inlata sunt; haec
vero, quae inpraesentiarum [et] quasi vobiscum parienda sunt, talia erunt, qualia vos illa
favendo feceritis. quanto enim exinde orationi modificabor, || dum || vos animadverto libenter
audire! proinde in vestra manu situm est vela nostra sinuare et iam remittere, ne pen-
dula et flaccida novo restricta et caperrata sint. 106

August. de civ. dei VIII, 14 Apuleius Platonicus Madaurensis de hac re sola unum scripsit librum, cuius esse titulum voluit de deo Socratis *et paulo post* de qua usque adeo et ipse Apuleius erubuit, ut de deo Socratis praenotaret librum, quem secundum suam disputationem ..... non appellare de deo sed de daemone Socratis debuit. *Priscianus* X, 3, 17 (p. 509, 9 H.) Apuleius in dialogo qui est de deo Socratis. — 4 *Festus p. 334 M. et Petronius c. 4* — 7 solet apud prudentes — prolixior *Vincentius Bell. spec. doctr. V, 94 et spec. hist. IV, 7.*

APVLEII PLATONICI MADAVRENSIS INCIP DE DEO SOCRATIS FELICITER *M* *Nulla inscriptio in F* 1 rudimentū* (*eras. ut v.* r *M²*) *M* 2 periculum qua (*om.* faciam post) *M* mire *Goldbacherus* re *O* 3 sunt *Lipsius* sum *O* 5 et *om. Wowerius* repentinus praeparatus (*om.* qui) *M* 6 cognoscitis *M* quo scribimus *et* quam legimus *seclusi* 7 apud *FM²* aput *M* esse prae in *M* opibus *F²* opibus *O* 10 scriptu *M* quali *F* illata *M* 11 et *om. ed. Wowerii* parienda *Rohdius* parcenda *M* partienda *F* 12 favendo *ed. Romana* faciendo *O* orationi (ti *ex* c *corr. M²*) *M* dum *add. Wilamowitzius lacuna a Goldbachero indicata* 13 manu vestra *inverso ordine F* esse *M* et iam remittere *Oudendorpium secutus Hildebrandius* etiam remittere *F* etiam mittere *M* 14 flacida *M* caperata *F*

3 At ego, quod Aristippus dixit, experiar, Aristippus ille Cyrenaicae sectae repertor,
quodque malebat ipse, Socratis discipulus. cum quidam tyrannus rogavit, quid illi phi-
losophiae studium tam inpensum tamque diutinum profuisset. Aristippus respondit: 'ut
4 cum omnibus', inquit, 'hominibus secure et intrepide fabularer'. verbo subito sumpta
sententia est, quia de repentino oborta est. quodsi velut in maceria lapides temerario
interiectu poni necesse est neque interiecto intrinsecus pondere neque conliniato pro
107 fronte situ neque coniventibus ad regulam lineis, quippini structor orationis huius egomet
non e meo monte lapidem directim caesum adferam, probe omnifariam conplanatum, leviter
extimas oras ad unguem coaequatum, sed undique operi adcommodem vel inaequalitate
108 aspera vel levitate lubrica vel angulis eminula vel rotunditate volubilia sine regulae cor-
rectione et mensurae parilitate et perpendiculi sollertia? nulla enim res potest esse eadem
festinata simul et examinata. ‖ an vos ipsi vidistis umquam ‖ quicquam omnino, quod
haberet laudem diligentiae simul et gratiam celeritatis?

5 Praebui me quorundam voluntati, qui oppido quam a me desiderabant, ut dicerem
ex tempore. at est hercule formido, ne id mihi evenerit, quod corvo suo evenisse Aesopus
fabulatur, id erit, ne, dum hanc novam laudem capto, parvam illam, quam ante peperi,
6 cogar amittere. sed de apologo quaeritis: non piget me aliquid fabulari. corvus et vulpes
109 unam offulam simul viderant eamque raptum festinabant pari studio inpari celeritate, vulpes
cursu, corvus volatu. igitur ales bestiam praevenit et secundo flatu propassis utrimque
pennis praelabitur et anticipat atque ita praeda simul et victoria laetus sublime evectus in
quadam proxima quercu in summo eius cacumine tutus sedit. eo quoque tamen vulpes,
quia pedem nequibat, dolum iecit. namque eandem arborem successit et subsistens, cum
7 superne raptorem praeda ovantem videret, laudare astu adorta est: 'ne ego inscita, quae
cum alite Apollinis frustra certaverim, quippe cui iam pridem corpus tam concinnum est,
110 ut neque oppido parvum neque nimis grande sit, sed quantum satis ad usum decorem-

3 *Diog. Laert. II, 68* ἐρωτηθεὶς τί αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας, ἔφη· τὸ δύνασθαι πᾶσι θαρρούντως ὁμιλεῖν. 11 nulla res — celeritatis *Vincentius Bell. spec. doctr. V, 94 et spec. hist. IV, 7.*

2 socratis *FM²* socrati *M* tirannus *F* 4 compta *Wilamowitzius* 5 sentia (ten *s. l.*) *M¹* quodsi *Wilamowitzius* quasi *O* 6 conlintato *M* 7 fonte *M* conlimata pro situ fronte *Wilamowitzius* conibentibus *F* conniniventibus *ni f. M* co***hibentibus *ni f. M¹* quippini *Wilamowitzius* quippe qui *O* 8 directu *M* afferam prope *M* leviter extimas *Salmasius, om. spat. 7 litt. vac. M* leviter ex optimis oris *F* 9 undique (l *s. l.*) *scripsi* cuique *O* accommodem *M* 10 levitate *vulgo* lenitate *O* rotunda *M* 11 solertia *M¹* 12 simul *om. F* an vos ipsi vidistis umquam *addidi, om. spat. 23 litt. vac. M* nec est *add. m. recens in M* nec esse *F* omnino *scripsi* omnium *O* 13 haberet *scripsi* habere et *O, post* habere *m. recens s. l. add.* possit *in M* 14 praebui me quorundam *om. spat. 12 litt. vac. M* oppi *M* quam *Rohdius* quae *O* desiderabant *Rohdius* desiderabantur *O* 15 at *scripsi* et *O* est mihi (*om.* hercule formido ne id *et post* mihi *spat. 14 litt. vac.*) *M* michi *F* 16 novam laudem *om. spat. 15 litt. vac. M* parvam *F* parum *M* 17 pigebit aliquid (*om.* me) *F* vulpes *FM²* vulpis *M* (*ita semper*) 20 sublimeq; *M* *an* in quandam proximam quercum? 21 tamen *O an* iam? tum *ed. Colviana* 22 quia pedem *Oudendorpio auctore scripsi* qui alipedem *O* 24 cui lampidem (r *s. l.*) *M¹* (l *in* i *corr. M²*)

que: pluma mollis, caput argutum, rostrum validum. iam ipse ales oculis perspicax, un-
guibus pertinax. nam de colore quid dicam? [nam] cum duo colores praestabiles forent,
piceus et niveus, quibus inter se nox cum die differunt, utrumque colorem Apollo suis
alitibus condonavit, candidum olori, nigrum corvo. quod utinam sicuti cygno cantum in-
dulsit, ita huic quoque vocem tribuisset, ne tam pulchra ales, quae ex omni avitio longe
praecellit, voce viduata, delicie facundi dei, muta viveret et elinguis! id vero ubi corvus 8
audit, hoc solum sibi prae ceteris deesse, dum vult clarissime clangere, ut ne istuc saltem
olori concederet, oblitus offulae, quam mordicus retinebat, toto rictu hiavit atque ita, quod
volatu pepererat, cantu amisit; enimvero vulpes, quod cursu amiserat, astu recuperavit. 111
eandem istam fabulam in pauca cogamus, quantum fieri potest cohibiliter. corvus ut se
vocalem probaret, quod solum deesse tantae eius formae vulpes simulaverat, groccire ador-
tus praedae, quam ore gestabat, inductricem conpotivit.

* * *

Iamdudum scio, quid hoc significatu flagitetis, ut cetera Latine materiae persequa- 9
mur. nam et in principio vobis diversa tendentibus ita memini polliceri, ut neutra pars 112
vestrum, nec qui Graece nec qui Latine petebatis, dictionis huius expertes abiretis. qua- 113
propter si ita videtur, satis oratio nostra atticissaverit. tempus est in Latium demigrare
de Graecia; nam et quaestionis huius ferme media tenemus, ut, quantum mea opinio est,
pars ista posterior prae illa Graeca, quae antevertit, nec argumentis sit effetior nec senten-
tiis rarior nec exemplis pauperior nec oratione defectior.

Plato omnem naturam rerum, quod eius ad animalia praecipua pertinet, trifariam 10
divisit censuitque esse summos deos. summum, medium et infimum fac intellegas non I 115
modo loci disclusione verum etiam naturae dignitate, quae et ipsa neque uno neque ge-
mino modo sed pluribus cernitur. ordiri tamen manifestius fuit a loci dispositione; nam 116

20 *August. de civ. dei VIII, 14:* omnium, inquiunt, animalium, in quibus est anima rationalis, tripertita divisio est: in deos, homines, daemones. dii excelsissimum locum tenent, homines infimum, daemones medium. nam deorum sedes in caelo est, hominum in terra, in aëre daemonum.

1 oculis persequax *F* 2 nam *secl. Wilamowitzius* 3 se nox *FM²* senex *M* 4 cigno *O* 5 pulcra *M* omni avitio *FM²* omnia vitio *M* longe (o *corr. m f. ex* a *M²*) *M* 6 delicie *vulgo* deliciae *O* 7 clarissime clangere ut ne *om. spat. 28 litt. vac. M* istuc *Oudendorpium secutus scripsi* id hoc *F* hoc *M* 8 rictu *F* ore *M* hiavit atque (*sed* hia *ex* in *corr. et* atque *in ras. M²*) *M* ita *om. M* 10 istam *F* eam *M* cohibiliter corvus ut *om. spat. 11 litt. vac. M* , 11 vocalem *FM²* vocarem *M* 12 compotuit *M* *tum* EXPLICIT PRAEFATIO INCIPIT DISPVTACIO DE DEO SOCRATIS FL *M* APVLEII MADAVRENSIS DE DEO SOCRATIS LIBER ·I· INCIPIT. PROLOCVTIO *F* *deest orationis pars Graeca, de qua vide adn. crit.* 13 latine *vulgo* latinae *F* latina *M* *an secludendum* materiae? 14 vobis *ed. Romana* nobis *O* 15 ne^c qui *M¹* 16 aticissaverit *M* latinum *M* 17 ferme *om. F* oppinio *M* 18 pars *Vulcanius* ars *O* effetior *FM²* effecior *M* 19 oratione (e *in ras. M²*) *M* *post* defectior *alius incipit versus in M* NARRATIONIS EXORDIUM *F* 20 praecipua *Mercerus* precipue *O* pertinet *scripsi* pertineat *O* 22 gemino (o *in ras. ex* i *M²*) *M* cernitur *Parisinus 8624* cernit *M* discernit *F*

11 proinde ut maiestas postulabat, diis inmortalibus caelum dicavit. quos quidem deos cae-
lites partim visu usurpamus, alios intellectu vestigamus. ac visu quidem cernimus vos,
117 o clarissima mundi lumina, labentem caelo quae ducitis annum; nec modo
ista praecipua, ‖ solem ‖ diei opificem lunamque, solis aemulam, noctis decus, seu corni-
culata seu dividua seu protumida seu plena sit, varia ignium face, quanto longius facessat
a sole, tanto longius conlustrata, pari incremento itineris et luminis mensis suis auctibus
ac dehinc paribus dispendiis aestimans, sive illa proprio sibi et perpeti candore, ut Chaldaei
arbitrantur, parte luminis compos, parte altera cassa fulgoris pro circumversione oris dis-
118 coloris multiiuga pollens speciem sui variat, seu tota proprii candoris expers, alienae lucis
indigua, denso corpore ceu levi [seu] quodam speculo radios solis obstiti vel adversi usurpat
12 et, ut verbis utar Lucretii, notham ‖ proprio ‖ iactat de corpore lucem. utra-
II cumque harum vera sententia est — nam hoc postea videro —, tamen neque de luna
119 neque de sole quisquam Graecus aut barbarus facile cunctaverit deos esse, nec modo istos,
120 ut dixi, verum etiam quinque stellas, quae vulgo vagae ab inperitis nuncupantur, quae
tamen indeflexo et certo et stato cursu meatus longe ordinatissimos divinis vicibus aeter-
nos efficiunt; varia quippe curriculi sui specie sed una semper et aequabili pernicitate
tunc progressus, tunc vero regressus mirabili vicissitudine assimulant pro situ et flexu
13 et obstito circulorum, quos probe callet, qui signorum ortus et obitus conperit. in eodem
visibilium deorum numero cetera quoque sidera, qui cum Platone sentis, locato, Arctu-
121 rum pluviasque Hyadas geminosque Triones aliosque itidem radiantis deos,
quibus caeli cohum comptum et coronatum suda tempestate visimus, pictis noctibus se-
vera gratia, torvo decore, suspicientes in hoc perfectissimo mundi, ut ait Ennius, clipeo
14 miris fulgoribus variata caelamina. est aliud deorum genus, quod natura visibus nostris
denegavit, nec non tamen intellectu eos rimabundi contemplamur [acie mentis acrius con-

1 *Plat. de legg. XI, 931 A* τοὺς μὲν γὰρ τῶν θεῶν ὁρῶντες σαφῶς τιμῶμεν, τῶν δ' εἰκόνας ἀγάλματα ἱδρυσάμενοι. *August. de civ. dei X, 27.* 2 *Verg. Georg. I, 5 sq.* — *August. de civ. dei IX, 16.* 11 *Lucret. V, 575 sq.* lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans sive suam proprio iactat de corpore lucem. 19 *August. de civ. dei IX, 16* sidera . . . quos deos omnes visibiles dicit. — *Verg. Aen. III, 516.* 22 *Varro de L. L. VII, 73 M.* quid noctis videtur in altisono caeli clipeo? *cf. V, 19.*

4 solem *om. O, add. edd. vett.* lunamq; *FM²* lunamq̃ *M* 6 lu'luminis *M* (lu *eras. M²*) mensis *M* menses *M²* mensē *F* 7 sibi et *scripsi Rohdium secutus* seu *O* Caldei *M* 9 multiiuga *O* multivaga *M²* multiiuga pollens *vix sanum* expers (pers *in ras. M²*) *M* 10 indigua *Hildebrandius* indicia *O* indiga *ed. Romana* corpori *M* ceu *scripsi* seu *O* seu *O* ceu *M²* *seclusi* quodam (o *in ras. M²*) *M* radios *Wowerius* radiis *O* obstiti *Scaliger* obstitit *O* 11 et *in ras. M²* notam *O* proprio *om. O, add. Wilamowitzius* iacta[t] *M²* iactam *O* utracumque *Zinkius* utraq; *O* 13 deos *F* duas *M* 14 quinque *M* ut *F* 16 quippe *M* quidem *F* 17 *post* vero *spat. 19 litt. vacat in M* adsimilant *F* 18 obstito *Scaliger* abstituto *O* 19 sydera *F* secus locat *M* arcturum PhyḠT abosque *M* arcturum G. T. aliosque *F* 21 cohum *Kiesslingius* chorum *O* cumtum *M* *an secludendum* severa gratia? 22 decore *ed. Romana* decori *F* decor *M* mundi *add. s. l. F²* 24 mirabundi *F* acie mentis acrius contemplantes *seclusi*

templantes]. quorum in numero sunt illi duodecim [numero] situ nominum in duo versus
ab Ennio coartati: Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mer-
curius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo, ceterique id genus, quorum nomina 122
quidem sunt nostris auribus iam diu cognita, potentiae vero animis coniectatae per varias
utilitates in vita agenda animadversas in iis rebus, quibus eorum singuli curant. ceterum 15
profana [philosophiae] turba inperitorum, vana sanctitudinis, priva verae rationis, inops religio- III
nis, inpos veritatis, scrupulosissimo cultu, insolentissimo spretu ‖ tremit istos ‖ deos ‖ vel ‖
neglegit, pars in superstitione, pars in contemptu timida vel tumida. hos namque cunctos 123
deos in sublimi aetheris vertice locatos, ab humana contagione procul discretos plurimi sed
non rite venerantur, omnes sed inscie metuunt, pauci sed inpie diffitentur. quos deos Plato 16
existimat naturas [incorporalis] animalis, neque fine ullo neque exordio sed prorsus ac
retro aeviternas, ‖ a ‖ corporis contagione suapte natura remotas, ingenio ad summam
beatitudinem perfecto, nullius extrarii boni participatione sed ex sese bonas et ad omnia
conpetentia sibi promptu facili, simplici, libero, absoluto. quorum parentem, qui omnium 17
rerum dominator atque auctor est, solutum ab omnibus nexibus patiendi aliquid gerendive, 124
nulla vice ad alicuius rei munia obstrictum cur ego nunc dicere exordiar? cum Plato
caelesti facundia praeditus aequiperabilia diis inmortalibus disserens frequentissime prae-
dicet hunc solum maiestatis incredibilis quadam nimietate ineffabili non posse penuria ser-
monis humani quavis oratione vel modice conprehendi; vix sapientibus viris, cum se
vigore animi, quantum licuit, a corpore removerunt, intellectum huius dei, ‖ et ‖ id quoque
interdum, velut in altissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare.
Missum igitur hunc locum faciam, in quo non mihi [quidem] tantum sed ne Pla- 18
toni quidem meo quiverunt ulla verba pro amplitudine rei suppetere; [faciam] rebus 125
mediocritatem meam [in] longe superantibus receptui canam tandemque orationem de
caelo in terram devocabo. in qua praecipuum animal homines sumus, quamquam plerique

2 Iuno — Apollo *Mart. Capella I, 42.* 14 *Plat. Tim. 28 C* τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. 18 non posse — intermicare *August. de civ. dei IX, 16.* 25 *August. de civ. dei VIII, 15* Apuleius terrestre animal hominem dicit.

1 numerosi tu *M* numero *seclusi* numeroso *Mercerus* duo *O* duos *F²* 5 animadversas *ed. Colviana* animadversae *O* iis *ed. Romana* his *O* 6 profani *M* philosophiae *seclusi* philosophiet *ni f. M* philosophie* *M²* priva *vulgo* prava *O* legionis *M* 7 scrupulosissimo in occulto *M* tremit istos deos vel *scripsi, om. ab O praeter* deos, *sed inter* spretu *et* deos *spat. 12 litt., incertum an per rasuram, vac. in M* 8 timida vel *om. M* 9 sublimia (a *eras. M²*) *M* 10 insciciae *M* Qdeos *F* 11 natura incorporales *F* incorporalis *secl. Wilamowitzius* prossus *M* ac retro *in ras. M²* 12 a *om. O, addidi* contagione suapte *Floridus* contagiones suaq; *O* contagione regione suaque *Goldbacherus* 13 se *F* bonas *Vulcanius* bona *O* 14 promtu *M* parentē qui *M²* parentūq; *O* 16 munia *Vulcanius* mutua *O* ego *Mercerus* ergo *O* 18 incredibilis *Vulcanius* incredibili *O* et ineffabili *F* 19 vix autem sapientibus *Augustinus* 20 vigori *M* removerunt *Augustinus* moverunt *O* diei *M* et *om. O add. Colvius* 21 velut *Augustinus* vel *O* altissimis *Colvius ex Augustino* artissimis *O* choruscamine *F* 22 quidem *om. ed. Colviana* 23 faciam *secl. Rohdius* ac iam *Mercerus* 24 in *secl. Goldbacherus*

se incuria bellae disciplinae ita omnibus erroribus ac piacularibus [depravaverint] sceleribus
126 inbuerint et prope exesa mansuetudine generis sui inmane efferarint, ut possit videri nullum animal in terris homine postremius. sed nunc non de errorum dispunctione sed de naturae
19 distributione disserimus. igitur homines ratione plaudentes, oratione pollentes, inmortalibus
IV animis, moribundis membris, levibus et anxiis mentibus, brutis et obnoxiis corporibus, dissimillimis moribus, similibus erroribus, pervicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, for-
127 tuna caduca, singillatim mortales cuncti, tamen universo genere perpetui, vicissim sufficienda prole mutabiles, volucri tempore, tarda sapientia, cita morte, querula vita terras incolunt.
20 Habetis interim bina animalia, deos ab hominibus plurimum differentes loci sublimitate, vitae perpetuitate, naturae perfectione, nullo inter se propinquos communicatu; cum et habitacula summa ab infimis tanta intercapedo fastigii dispescat et vivacitas illic aeterna et indefecta sit, hic caduca et subsiciva et ingenia illa ad beatitudinem sublimata sint, haec ad miserias
21 infimata. quid igitur? nullone conexu natura se vinxit, sed in divinam et humanam partem
128 ‖ parti ‖ tam se et interruptam ac veluti debilem passa est? nam, ut idem Plato ait, nullus deus miscetur hominibus, sed hoc praecipuum eorum sublimitatis specimen est, quod nulla adtrectatione nostra contaminantur. pars eorum tantummodo obtutu hebeti visuntur, ut sidera, de quorum adhuc et magnitudine et coloribus homines ambigunt; ceteri autem solo in-
22 tellectu neque prompto noscuntur. quod quidem mirari super diis inmortalibus nequaquam congruerit, cum alioqui et inter homines qui fortunae munere opulenti elatus et usque ad
129 regni nutabilem suggestum et pendulum tribunal evectus est, raros aditus det longe re-

4 igitur homines — terras incolunt *August. de civ. dei IX, 8.* singillatim — perpetui *ibid. XII, 10.* homines — cita morte *Vincentius Bell. spec. doctr. VI, 105 et spec. hist. IV, 7.* 9 habetis — infimata *August. de civ. dei IX, 12. cf. 13.* 10 cum et — dispescant *Prisc. X, 3, 17 (p. 509, 9 H.)* 14 *Plat. Symp. 203 A* θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται. *August. de civ. dei IX, 16:* non enim verum est, quod idem Platonicus ait Platonem dixisse: 'nullus deus miscetur homini', et hoc praecipuum eorum sublimitatis ait esse specimen, quod nulla adtrectatione hominum contaminantur. — nullus — homini *August. de civ. dei VIII, 18 et 20.*

1 bellae *Vulcanius* velle *M om. F* depravaverint *seclusi Oudendorpio auctore* 2 possi(n)t *M* (n *eras. M*[2]) 3 dispunctione *Lipsius* disputatione *O* 4 disserimus *Mercerus* disseremus *O* gaudentes *Augustini cod. Corbeiensis saec. VII* 6 dissimilibus *Augustinus et Vincentius Bell.* simillimis *F* 7 singulatim *F* mortales, cunctim *Lipsius an* singillatim mortales, cunctim [tamen universo genere] perpetui? ge(ne)re *M*[1] suffienda *M* 9 interim (m *in ras. M*[2]) *M* 10 propinquos *Stewechius* propinquo *O* et habitacula *Augustinus et Priscianus* ea habitacula *O* 11 ab *om. M* imfimis *M* intercapedine fastigii dispescant *Priscianus* 12 subsiciva *O* subseciva *M*[2] sint *om. Augustinus* 13 infimata *Augustinus* infirmata *O* nullone conexu *M* (nec *in ras. M*[2]) cōnexu (*virg. add. F*[2]) *F* vi(n)xit *M*[1] 14 partitam se *scripsi* cāse *M* campse *F* tāse *M*[2] cassam se *Mercerus* sectam se *Bosscha* 15 homini *Augustinus* attrectatione *F* 16 contaminantur *Vaticanus 3385* contaminatur *O* ebeti *F* sydera *F* 17 curum *M* qu°rum *M*[2] caeleri *M* (ae *in* e *corr. M*[2]) solo intellectu *Vaticanus 3385* sola intellecta *O* 18 nequi *M* prompte *scripsi* propt̄ *M* prompto *F* nascuntur *O* 19 alioqui *O* aliqui *M*[2] opulenti *O* opulento *M*[2] 20 mutabilem *M* raros aditus det *Oudendorpium secutus scripsi* raro aditus et *O* raro aditu sit *Goldbacherus*

motis arbitris in quibusdam dignitatis suae penetralibus degens. parit enim conversatio contemptum, raritas conciliat admirationem.

Quid igitur, orator obiecerit aliqui, post istam caelestem quidem sed paene in- 23
humanam tuam sententiam faciam, si omnino homines a diis inmortalibus procul repellun- V
tur atque ita in haec terrae tartara relegantur, ut omnis sit illis adversus caelestes deos
communio denegata ne ‖ quo ‖ quisquam eos e caelitum numero velut pastor vel equiso
vel busequa ceu balantium vel hinnientium vel mugientium greges intervisat, qui fero- 130
cibus moderetur, morbidis medeatur, egenis opituletur? nullus, inquis, deus humanis rebus 24
intervenit. cui igitur preces allegabo? cui votum nuncupabo? cui victimam caedam? quem
miseris auxiliatorem, quem fautorem bonis, quem adversatorem malis in omni vita ciebo?
quem denique, quod frequentissimum est, iuri iurando arbitrum adhibebo? an ut Vergili-
anus Ascanius per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat? at enim, o Iulo,
pater tuus hoc iure iurando uti poterat inter Troianos stirpe cognatos et fortassean inter
Graecos proelio cognitos; at [enim] inter Rutulos recens cognitos si nemo huic capiti cre-
diderit, quis pro te deus fidem dicet? an ut ferocissimo Mezentio dextra et telum? quippe 25
haec sola advenerat ‖ us erat ‖, quibus propugnabat: dextra mihi deus et telum, 131
quod missile libro. apage sis tam cruentos deos, dextram caedibus fessam telumque
sanguine rubiginosum; utrumque idoneum non est, propter quod adiures, ne ut per ista
iuretur, cum sit summi deorum hic honor proprius. nam et ius iurandum Iovis 132
[iurandum] dicitur [ut ait Ennius]. quid igitur censes? iurabo per Iovem lapidem Romano
vetustissimo ritu? atqui si Platonis vera sententia est, numquam se deum cum homine
communicare, facilius me audierit lapis quam Iuppiter.

Non usque adeo — responderit enim Plato pro sententia sua mea voce — non 26
usque adeo, inquit, seiunctos et alienatos a nobis deos praedico, ut ne vota quidem nostra VI
ad illos arbitrer pervenire. neque enim illos a cura rerum humanarum sed contrectatione
sola removi. ceterum sunt quaedam divinae mediae potestates inter summum aethera et
infimas terras in isto intersito aëris spatio, per quas et desideria nostra et merita ad deos 133

1 parit — admirationem *Vincentius Bell. spec. doctr. VI, 38 et spec. hist. IV, 7.* 12 *Verg. Aen. IX, 300.* 16 *Verg. Aen. X, 773 sq.* dextra mihi deus et telum, quod missile libro, nunc adsint! 19 *Cic. de off. III. 29, 104:* nam praeclare Ennius: 'o fides alma apta pinnis et ius iurandum Iovis'. 23 [*Plat.*] *Epinom. 984 D et E.*

1 suae *om. M* 3 oro te *Mercerus* 4 ^{in}mortalibus *F*[1] 5 religantur *M* 6 neque *scripsi* ne *O* nec *vulgo* equiso *Elmenhorstius* equisitio *M* equitio *F* 7 †innientium *M* intervis atqui *M* 9 votu noncubabo *M* (nuncupabo *M*[2]) 10 *post* bonis *spat. 16 litt. vacat in M* 11 de^{ni}que *M*[1] iureiurando *M* virgilianus *O* 12 iule *FM*[2] uilo *M* 14 enim *om. ed. Vulcanii* rutilos *M* 15 ut se *O* se *om. ed. Romana* 16 adveneratus erat *scripsi* advenerat *O* michi *F* 17 apages istà *M corr. M*[2] 18 ne ut *Mercerus* neue *O* 19 iovis iurandum *om. F* 20 iurandum *seclusi cum Brantio* ut ait Ennius *seclusi* 21 atqui *ed. Colviana* atque *O* 25 illos a cura *Scioppius* illa sacra *O* 26 aethera (aeth *in ras. M*[2]) *M* 27 intersito *Elmenhorstius* intersitae *O* ad deos *vulgo* ad eos *O*

commeant: hos Graeco nomine δαίμονας nuncupant, inter caelicolas ‖ terricolas ‖ que
vectores hinc precum inde donorum, qui ultro citro portant hinc petitiones inde suppetias
27 ceu quidam utrisque interpretes et salutigeri. per hos eosdem, ut Plato in Symposio autu-
mat, cuncta denuntiata et magorum varia miracula omnesque praesagiorum species regun-
134 tur. eorum quippe de numero praediti curant singuli [eorum], proinde ut est cuique tri-
buta provincia, vel somniis conformandis vel extis fissiculandis vel praepetibus gubernandis
vel oscinibus erudiendis vel vatibus inspirandis vel fulminibus iaculandis vel nubibus
coruscandis ceterisque adeo, per quae futura dinoscimus. quae cuncta caelestium volun-
tate et numine et auctoritate sed daemonum obsequio et opera et ministerio fieri arbitran-
28 dum est. horum enim munus atque opera atque cura est, ut Hannibali somnia orbitatem
VII 135 oculi comminentur, Flaminio extispicia periculum cladis praedicant, Atto Navio auguria
miraculum cotis addicant; item ut nonnullis regni futuri signa praecurrant, ut Tarquinius
Priscus aquila obumbretur ab apice, Servius Tullius flamma conluminetur a capite; postre-
136 mo cuncta ariolorum praesagia, Tuscorum piacula, fulguratorum bidentalia, carmina Sibyl-
29 larum. quae omnia, ut dixi, mediae quaepiam potestates inter homines ac deos obeunt.
neque enim pro maiestate deum caelestium fuerit, ut eorum quisquam vel Hannibali som-
137 nium fingat vel Flaminio hostiam † conroget vel Atto Navio avem velificet vel Sibyllae fati-
loquia versificet vel Tarquinio velit apicem rapere sed reddere, Servio vero inflammare
verticem nec exurere. non est operae diis superis ad haec descendere: mediorum divorum
ista sortitio est, qui in aëriis plagis terrae conterminis nec minus confinibus caelo perinde

1 *Plat. Symp. 202 D sq.* καὶ γὰρ πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ . . . . ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς [τῶν θυσιῶν], ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὐτῷ ξυνδεδέσθαι. διὰ τούτου καὶ ἡ μαντικὴ πᾶσα χωρεῖ καὶ ἡ τῶν ἱερέων τέχνη τῶν τε περὶ πὰς θυσίας καὶ τὰς τελετὸς καὶ τὰς ἐπῳδὰς καὶ τὴν μαγγανείαν πᾶσαν καὶ γοητείαν. *August. de civ. dei VIII, 22* restat, ut nullo modo credendum sit, quod Apuleius persuadere nititur, ita esse medios daemones inter deos et homines tanquam internuntios et interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum suppetias. *cfr. ibid. VIII, 24. ibid. VIII, 16* dicit ad eos pertinere divinationes augurum, haruspicum, vatum atque somniorum; ab his quoque esse miracula magorum. — 10 *Cic. de divin. I, 24, 48.* — 11 *Liv. XXI, 63, 13. Liv. I, 36, 3 sq. Cic. de divin. I, 17, 32.* — 12 *Liv. I, 34, 8.* — 13 *Liv. I, 39, 1.*

1 hoc *M* Graeco *ed. Colviana* Graeci *O* δαίμονας *ed. Aldina* demones *O* terricolas *om. O, add. Vulcanium secutus Goldbacherus* 2 suppetas M^1 3 utrisque *Usenerus ad Platonis symp. p. 20* utriusque *O* utrimque *Oudendorpius* simposio *M* symphosio *F* 4 varia magorum *inverso ordine F* 5 eorum *secl. Goldbacherus* 6 somnis *M* fisiculandis *M* 8 per quē *M* 9 nomine *M* 10 hannibalis omnia *M corr.* M^2 11 comminentur *Wowerius* comminarentur *F* comminarotur M^1 comminitentur *Oudendorpius* flamminio *M* praedicant *Stewechius* praedicent *O* Atto *Oudendorpius* attio FM^2 accio *M* navio (o *ni f. ex* gio *in ras.* M^2) *M* 12 item *Mercerus* ita *O* 13 cūluminetur *M* colluminetur M^2 posttremo *M* 14 ariolum *F* fulgoratorum *M* sybillarum *O* sybillarum carmina *inverso ordine F* 16 hannibalis *M* 17 fingat *Salmasius ad Solin. p. 781* pingat *O* flaminio (n *s. l. add.* F^2) *F* conroget *F* corroget *M* conroboret *Goldbacherus* Atto *Oudendorpius* atio *M* attio *F* navio *om. F* avem *Lindenbrogius* navem *F* navim *M* sybillae *M* sybillae fatiloquia versificet vel *om. F* 20 aeris *F*

versantur, ut in quacumque parte naturae propria animalia [in aethere volantia, in terra gradientia].

Nam cum quatuor sint elementa notissima veluti quadrifariam natura magnis partibus 30
disterminata sintque propria animalia terrarum, ‖ aquarum ‖, flammarum, siquidem Ari- VIII
stoteles auctor est in fornacibus flagrantibus quaedam propria animalia pennulis apta 138
volitare totumque aevum suum in igni diversari, cum eo exoriri cumque eo extingui;
praeterea cum totiuga sidera, ut iam prius dictum est, sursum in aethere id est in ipso
liquidissimo ignis ardore conpareant, cur hoc solum ‖ inter ‖ quattuor elementa [aëris],
quod tanto spatio intersitum est, cassum ab animalibus, desertum a cultoribus suis natura
pateretur, quin in eo quoque [aëre] animalia gigneret ut in igni flammida, in unda fluxa,
in terra glebulenta? nam quidem qui aves aëri attribuet, falsum sententiae meritissimo 31
dixeris; quippe quia [aves] nulla earum ultra Olympi verticem sublimatur, qui cum ex-
cellentissimus omnium ‖ montium ‖ perhibeatur, tamen altitudinem perpendiculo si metiare, 139
ut geometrae autumant, ‖ decem ‖ stadia altitudo fastigii non aequiperat, cum sit aëris
agmen inmensum usque ad citimam lunae helicem, quae porro aetheris sursum versus 140
exordium est. quid igitur tanta vis aëris, quae ab humillimis lunae anfractibus usque ad 32
summum Olympi verticem interiacet? quid tandem? vacabitne animalibus suis atque erit
ista naturae pars mortua ac debilis? immo enim si sedulo advertas, ipsae quoque aves
[per] terrestre animal, non aërium rectius perhibeantur. ‖ est ‖ enim semper illis victus
omnis in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile, tantum quod aëra proximum terrae voli-
tando transverberant. ceterum cum illis fessa sunt remigia pennarum, terra ceu portus est.

Quod si manifestum flagitat ratio debere propria animalia etiam in aëre intellegi, 33
superest, ut, quae tandem et cuiusmodi ea sint, disseramus. igitur terrena nequaquam, IX

5 *Aristot. hist. anim. V, 19 p. 552 b 10 Bekk. ἐν δὲ Κύπρῳ, οὗ ἡ χαλκῖτις λίθος καίεται, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐμβαλλόντων, ἐνταῦθα γίνεται θηρία ἐν τῷ πυρί, τῶν μεγάλων μυιῶν μικρόν τι μείζονα, ὑπόπτερα, ἃ διὰ τοῦ πυρὸς πηδᾷ καὶ βαδίζει.*

1 aut *F* animalia pennulis in aehtere *M* (pennulis *expunx. M²*) in aethere volantia in terra gradientia *seclusi* 3 IIII *M* (or *superscr.*) 4 sintque *ed. Romana* sit quę *O* aquarum *om. O, add. Mercerus* 7 totuaga *M* sursum *ed. Romana* cursum *O* 8 ardore *M²F* ardorē *M* inter *om. O, addidi* quatuor *F* aeris *seclusi* 9 animalibus *Wilamowitzius* ʰomnibus (h *add. et* m *in* mi *corr. M¹*) *M* omnibus *F* 10 aere *seclusi* gigneret *Mercerus* gignerent *M* gignerent *F* 11 avis in aethere *M* 12 quia *Oudendorpium secutus Hildebrandius* quę *O* aves *seclusi* quę aves *secl. Mercerus* quia vix ulla *vir doctus apud Oudendorpium* 13 montium *om. O, addidi Rohdium secutus* 14 geometẹrae *M* (e *expunx. M²*) decem *om. O, add. Colvius* 15 inmsū *in ras. M²* (*idem M, sed falso divisum*) helicem quae *Floridus* felicēq; *F* fẹlicēq; *M* 16 exordium *ed. Romana* exortum *O* 17 olimpi *F* qui tandem *M* alimalibus (ni *superscr.*) *M¹* 18 imo *F* 19 per *secl. Vulcanius* aereum *O* est *om. O, add. vulgo* 20 pabulum ibidem *om. M* 21 transverberant (*post.* t *corr. ex* s) *M¹* pennarum *FM²* pinnarum *M* 22 *post* manifestum *3 litt. eras. in M* intelligi *F*

devergunt enim pondere, sed nec flammida, ne sursum versus calore rapiantur. tempe-
randa est ergo nobis pro loci medietate media natura, ut ex regionis ingenio sit etiam
34 cultoribus eius ingenium. cedo igitur mente formemus et gignamus animo id genus cor-
141 porum texta, quae neque tam bruta quam terrea neque tam levia quam aetheria, sed
quodammodo utrimque seiugata vel enim utrimque commixta sint sive amolita seu modi-
ficata utriusque rei participatione. sed facilius ex utroque quam ex neutro intellegentur.
habeant igitur haec daemonum corpora et modicum ponderis, ne ad superna inscendant,
35 ‖ et ‖ aliquid levitatis, ne ad inferna praecipitentur. quod ne vobis videar poetico ritu
X 142 incredibilia confingere, dabo primum exemplum huius libratae medietatis. neque enim
procul ab hac corporis subtilitate nubes concretas videmus. quae si usque adeo leves
forent, ut ea quae omnino carent pondere, numquam infra iuga, ut saepenumero animad-
vertimus, gravatae caput editi montis ceu quibusdam curvis torquibus coronarent. porro
si suapte natura spissae tam graves forent, ut nulla illas vegetioris levitatis admixtio
sublevaret, profecto non secus quam plumbi rodus et lapis suopte nisu caducae terris in-
36 liderentur. nunc enimvero pendulae et mobiles huc atque illuc vice navium in aëris
pelago ventis gubernantur paululum inmutantes proximitate et longinquitate. quippe si
143 aliquo humore fecundae sunt, veluti ad fetum edendum deorsus degrassantur. atque ideo
humectiores humilius meant aquilo agmine, tractu segniore; sudis vero sublimior cursus et
tum lanarum velleribus similes aguntur, cano agmine, volatu perniciore. [nonne audis,
quid super tonitru Lucretius facundissime disserat: p r i n c i p i o t o n i t r u q u a t i u n t u r
c a e r u l a c a e l i p r o p t e r e a, q u i a c o n c u r r u n t s u b l i m e v o l a n t e s a e t h e r i a e
37 n u b e s ‖ c o n t r a ‖ p u g n a n t i b u s v e n t i s.] quod si nubes sublime volitant, quibus
XI omnis et exortus est terrenus et retro defluxus in terras, quid tandem censes daemonum
144 corpora? quae sunt concreta multo tanto subtiliora, non enim ex hac faeculentae nube-
culae fumida caligine conglobata, sicuti nubium genus est, sed ex illo purissimo aëris

20 *Lucret. VI, 96—98.*

1 nec *Mercerus* ne *O* temperanda ė ergo *Parisinus 8624* temperandę ergo *F* temperande ergo *M* temperanda ergo *M²* 3 mentes *M* (s *eras. M²*) 4 terrae *ni f. M.* terrea *M²* aetherea *M* 5 utrimque *vulgo* utrūque *O* 7 inscendant *Colvius* incedant *M* incedat *F* 8 et *om. O, add. Scaliger* 9 liberę *M* 12 porro *usque ad* inliderentur *om. sed in marg. ima add. M¹* 13 veterioris *F* 14 rodus *Mercerus* robus *F* robur *M* suapte *M* illiderentur *M* 16 pabilu (u *s. l.*) *M¹* 17 alia quo humero *M* fecondae (u *s. l.*) *M²* ad fectum *M* ad foetum *M²* degrassatur *M* 18 aquilo *Lipsius* aquilonis *O* segniore *Mercerus* segniores *O* 19 tum *Vulcanius* cum *O* lanarum *FM²* lunarum *M* nonne *usque ad* ventis *seclusi* 20 *post* tonitru *eras.* qua, *deinde* lucretius *in l., cetera usque ad* qua[tiuntur *s. l. in M* • 21 propterea quia *vulgo* propter alia *O* ethereae *M* 22 contra *om. O* add. *vulgo* propugnantibus *F* propugnatibus (n *s. l.*) *M* venis *O* al. vetis *s. l. F* 23 est terrenus *Scaliger* et terrenus *F* et terrenius *M* 24 concretu *Mercerus* tanto *vulgo* tanta *O* subtiliora *Parisinus 8624* subtilior *O* subtiliore *Mercerus* faeculentae nubeculae fumida *scripsi* faeculenta nubecula tumida *O* et fu mida? et umida *Colvius*

liquido et sereno elemento coalita eoque nomini hominum temere visibilia, nisi divinitus
speciem sui offerunt, quod nulla in illis terrena soliditas locum luminis occuparit, quae
nostris oculis possit obsistere, qua soliditate necessario offensa acies inmoretur, sed fila
corporum possident rara et splendida et tenuia usque adeo, ut radios omnis nostri tuoris 145
et raritate transmittant ‖ et ‖ splendore reverberent et subtilitate frustrentur. hinc est illa 38
Homerica Minerva, quae mediis coetibus Graium cohibendo Achilli intervenit. versum
Graecum, si paulisper operiamini, Latine enuntiabo, atque adeo hic sit inpraesentiarum.
Minerva igitur, ut dixi, Achilli moderando iussu Iunonis advenit soli perspicua, ast
aliorum nemo tuetur. hinc et illa Vergiliana Iuturna, quae mediis milibus auxilia-
bunda fratri conversatur miscetque viris neque cernitur ulli, [prorsus quod Plau-
tinus miles super clipeo suo gloriatur, praestringens oculorum aciem hostibus].

Ac ne ceteros longius persequar, ex hoc ferme daemonum numero poetae solent 39
haudquaquam procul a veritate osores et amatores quorumdam hominum deos fingere; XII 146
‖ hos prosperare ‖ · et evehere, illos contra adversari et affligere; igitur et misereri et in-
dignari et angi et laetari omnemque humani animi faciem pati, simili motu cordis et salo
mentis ad omnes cogitationum aestus fluctuare, quae omnes turbulae tempestatesque pro-
cul a deorum caelestium tranquillitate exulant. cuncti enim caelites semper eodem statu 40
mentis aeterna aequabilitate potiuntur, qui numquam illis nec ad dolorem versus nec ad
voluptatem finibus suis pellitur nec quoquam a sua perpetua secta ad quempiam subitum
habitum demovetur, nec alterius vi, nam nihil est deo potentius, neque suapte sponte,
nam nihil est deo perfectius. porro autem qui potest videri perfectus fuisse, qui a priore
statu ad alium rectiorem statum migrat, cum praesertim nemo sponte capessat nova, nisi 147

5 *August. de civ. dei IX, 7:* denique hinc esse dicit (i. e. Apuleius) Homericam illam Minervam, quae mediis coetibus Graium cohibendo Achilli intervenit. 7 *Hom. Il. I, 198* οἴῳ φαινομένη, τῶν δ' ἄλλων οὔτις ὁρᾶτο. 10 *Verg. Aen. I, 440.* 11 *Plaut. mil. glor. I, 1, 4:* praestringat oculorum aciem acri in acie hostibus. 12 ex hoc ferme — exulant *August. de civ. dei IX, 3. August. de civ. dei VIII, 17* cum daemones quorundam hominum osores, quorundam amatores sint . . . *ibid. IX, 7* dicit . . . ex malorum daemonum numero esse, quos poetae quorundam hominum osores et amatores deos non procul a veritate confingunt. 15 simili — fluctuare *August. de civ. dei IX, 6. ibid. VIII, 17* omnem motum cordis et salum mentis omnesque turbelas et tempestates animi, quibus daemones aestuare atque fluctuare asserit, nos vera religio deponere iubet. *cfr. ibid. X, 27.*

2 offerunt *scripsi* offert *O* in eis *F* 3 fila *F*M^2 filda *ni f. M* 5 et *om. O, add. vulgo* 6 omerica *M* cetibus *F* graiū *F*M^2 grauū *M* 7 opperiamini *F* nuntiabo *M* 8 ast *edd. vett.* est *O* 9 nemo tuetur *F*M^2 ne mutuetur *M* virgiliana *O* 10 ulli *F*M^2 illi *M* prorsus *usque ad* hostibus *Bosscham secutus seclusi* placimus *M* 11 acie *M* 12 hac ne cētos os *M* ∗ ac ne ceteros M^2 demonū (*virg. add.* F^2) *F* 14 hos prosperare *om. O, add. Colvius ex Augustino* et evehere illos contra *ex Augustino Colvius* et vere illos scdm *F* et vere illos secundū (*notas transpositionis add.* M^1) *M* 16 per omnes *Augustinus* cotacionum (nci) *ni f.* M^1 turbelae *Augustinus* 17 ad eorum *M* a∗deorum M^2 18 versus *Scaliger* usus *O* 20 vi *in ras.* M^2 nichil *bis F* 21 perotentius fectius *M* (otentius *eras.* M^1) videri perfectius *F* prioraestatu *M* priore∗statu M^2

quem paenituit priorum? non potest enim subsequi illa mutata ratio sine praecedentium
infirmatione. quapropter debet deus nullam perpeti vel odii vel amoris temporalem per-
functionem et idcirco nec indignatione nec misericordia contingi, nullo angore contrahi,
nulla alacritate gestire, sed ab omnibus animi passionibus liber nec dolere umquam nec
41 aliquando laetari nec aliquid repentinum velle vel nolle. sed et haec cuncta et id genus
XIII cetera daemonum mediocritati rite congruunt. sunt enim inter nos ac deos ut loco regionis
ita ingenio mentis intersiti, habentes communem cum superis inmortalitatem, cum inferis
passionem. nam proinde ut nos pati possunt omnia animorum placamenta vel incita-
148 menta, ut et ira incitentur et misericordia flectantur et donis invitentur et precibus leni-
antur et contumeliis exasperentur et honoribus mulceantur aliisque omnibus ad similem
42 nobis modum varientur. quippe, ut finem conprehendam, daemones sunt genere animalia,
ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aëria, tempore aeterna. ex his quinque, quae
commemoravi, tria a principio eadem [quae] nobiscum, quartum proprium, postremum
commune cum diis inmortalibus habent, sed differunt ab his passione. quae propterea
passiva non absurde, ut arbitror, nominavi, quod sunt isdem, quibus nos, perturbationibus
mentis obnoxii.

43 Unde etiam religionum diversis observationibus et sacrorum variis suppliciis fides
XIV inpertienda est. † et sunt nonnulli ex hoc divorum numero, qui nocturnis vel diurnis,
promptis vel occultis, laetioribus vel tristioribus hostiis vel caerimoniis vel ritibus gaude-
149 ant, uti Aegyptia numina ferme plangoribus, Graeca plerumque choreis, barbara autem
strepitu cymbalistarum et tympanistarum et choraularum. itidem pro regionibus et cetera

7 *August. de civ. dei VIII, 14* habent enim cum diis communem immortalitatem corporum, animorum autem cum hominibus passionem. 9 *August. de civ. dei VIII, 17* cum enim daemones . . . quod et ipse Apuleius . . . cogitur confiteri, ira instigentur . . . donis invitentur . . . honoribus mulceantur . . . 11 *August. de civ. dei VIII, 16* breviter autem eos definiens ait daemones esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aeria, tempore aeterna; horum vero quinque tria priora illis esse quae nobis, quartum proprium, quintum eos cum diis habere commune. *ibid. IX, 13* tria dixit eos habere nobiscum, quod genere animalia, quod mente rationalia, quod animo passiva sunt, cum diis autem unum, quod tempore aeterna; et unum proprium, quod corpore aeria. daemones — aeterna *Vincentius Bell. spec. hist. IV, 7.* 15 *August. de civ. dei VIII, 16* de moribus ergo daemonum cum idem Platonicus loqueretur, dixit eos eisdem, quibus homines perturbationibus agitari, . . . diversis sacrorum ritibus oblectari et in eis si quid neglectum fuerit, commoveri. *cfr. ibid. X, 27.*

2 odii *Lipsius* opis *O* 4 animi *om. F* 5 sed et et cuncta *M* 6 mediocriati (t *supra*) *M*[1] nos *FM*[2] vos *M* religionis *O* (li *induxit F*[2]) 8 animorum *vulgo* animarum *O* 9 ut et ira *scripsi* ut ira *F* et ira *M* incitantur *M* flectuntur *M* invitantur *M* 9 *post* invitentur *verbum* et *ter om. F* 10 et contumeliis exasperentur *om. M* 11 variant *M* finē *Parisinus 8624* fine *O* conprehendam (d *in ras. M*[2]) *M* 12 aere& *ni f. M* aerea *M*[2] his *FM*[1] bis *M* 13 III (a *supra*) *M* quae *om. ed. Colviana* IIII (tū *supra*) *M* 14 cūmune *M* cōmune *M*[2] 15 hisdem *M* turbationibus *M* 18 sunt nonnullis (s *eras. M*[2]) *M* si nonnullos *F an* si nonnulli sunt? nocturnis *M* (noc *in ras. M*[2]) 19 promtis *F* 20 autem *Parisinus 8624* aut *O* 21 timpanistarum *M* coraularum *O* ceraularum *Salmasius* cetera *FM*[1] cetere *M*

in sacris differunt longa varietate: pomparum agmina, mysteriorum silentia, sacerdotum
officia, sacrificantium obsequia; item deorum effigies et exuviae, templorum religiones et 150
regiones, hostiarum cruores et colores. quae omnia pro cuiusque more loci sollemnia et 44
rata sunt, ut plerumque somniis et vaticinationibus et oraculis conperimus saepenumero
indignata numina, si quid in sacris socordia vel superbia neglegatur. cuius generis mihi
exempla affatim suppetunt, sed adeo celebrata et frequentata sunt, ut nemo ea commemorare adortus sit, quin multo plura omiserit, quam recensuerit.

Idcirco supersedebo inpraesentiarum in his rebus orationem occupare, quae si non 45
apud omnes certam fidem, at certe penes cunctos notitiam promiscuam possident. id potius
praestiterit Latine dissertare, varias species daemonum philosophis perhiberi, quo liquidius
et plenius de praesagio Socratis deque eius amico numine cognoscatis. nam quodam signi- 46
ficatu et animus humanus etiam nunc in corpore situs daemon nuncupatur [diine hunc XV
ardorem mentibus addunt]. igitur et bona cupido animi bonus deus est. unde non-
nulli arbitrantur, ut iam prius dictum est, εὐδαίμονας dici beatos, quorum daemon bonus
id est animus virtute perfectus est. eum nostra lingua, ut ego interpretor, haud sciam an 151
bono, certe quidem meo periculo poteris Genium vocare, quod is deus, qui est animus sui
cuique, quamquam sit inmortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur, ut eae preces,
quibus Genium et genua precantur, coniunctionem nostram nexumque videantur mihi 152
optestari corpus atque animum duobus nominibus conprehendentes, quorum communio et
copulatio sumus. est et secundo significatu species daemonum animus humanus emeritis 47
stipendiis vitae corpori suo abiurans. hunc vetere Latina lingua reperio Lemurum ‖ nomine ‖ dictitatum. ex hisce ergo Lemuribus qui posterorum suorum curam sortitus pla-
cato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris; qui vero ob adversa vitae 153

12 *Verg. Aen. IX, 184 sq.* diine hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido? 14 *August. de civ. dei IX, 11* Idem (Plotinus?) autem perhibet appellari Graece beatos εὐδαίμονας, quod boni sint animi hoc est boni daemones, animos quoque hominum daemones esse confirmans. 16 *Servius ad Verg. Aen. III, 63* in qua etiam sententia videtur esse Apuleius de daemonio Socratis: manes, inquit, animae dicuntur melioris meriti, quae in corpore nostro Genii dicuntur, corpori renuntiantes Lemures; cum domos incursionibus infestarent, Larvae appellabantur, contra si aequi et faventes essent, Lares familiares. *August. de civ. dei IX, 11* dicit quidem (Plotinus?) et animas hominum daemones esse et ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt; Lemures, si mali, seu Larvas; Manes autem deos dici, si incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum. 20 *cf. Plat. Cratyl. 398 B et de republ. V, 468 E sqq.*

1 longe *F* 2 sacrificantum *F* et regiones *om. F* 3 sollempnia (p *eras. M*²) *M* solemnia *F* 5 quis *M* michi *F* 7 omiserit *FM*² emiserit *M* 9 apud (d *corr. ex* t) *M*¹ at certam *F* poenes *M* possident *Parisinus 8624* possidet *O* 10 daemonum *Parisinus 8624* dū unū *O* philophis *M* quo *ed. Romana* qd̄ *O* 12 noncupatur *M* diine hunc ardorem M. A. (*i. e.* mentibus addunt) *O, seclusi* 14 iam diu *F* εὐδαίμονας *ed. Aldina* eudemonas *O* 15 eum *Scioppius* cum *O* quem *edd. vett.* aut *M* 17 eae *ed. Romana* haec *O* 18 genia *M* precatur *F* nexumque *Mercerus* nec sunt quę *O* 19 obtestari *M*²*F* 21 corpori *Mercerus* corpore *O* repperio *F* nomine *om. O, addidi* 22 lęmurus *M* lęmurib; *M*² qui *vulgo* quo *O* posterorum *Parisinus 8624* posteriorum *O* sortitus *FM*² fortitus *M* 23 quieto (t *in ras. M*²) *M* lar dicitur *F* largitur *M*

merita nullis [bonis] sedibus incerta vagatione ceu quodam exilio poenitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum malis noxium, id genus plerique Larvas perhibent. cum vero incertum est, quae cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva, nomine Manium deum nuncupant; scilicet honoris gratia dei vocabulum additum est. quippe tantum eos deos appellant, qui ex hoc daem || onum || numero iuste ac prudenter curriculo vitae gubernato pro numine postea hominibus praediti fanis et caerimoniis vulgo adver-
154 tuntur ut in Boeotia Amphiaraus, in Africa Mopsus, in Aegypto Osiris, alius alibi gentium, Aesculapius ubique.

48 Verum haec omnis distributio eorum daemonum fuit, qui quondam in corpore nostro
XVI fuere. sunt autem non posteriore numero, praestantiore longe dignitate super his aliud augustius genus daemonum, qui semper a corporis compedibus et nexibus liberi certis
155 potestatibus curant. quorum e numero Somnus atque Amor diversam inter se vim pos-
49 sident, Amor vigilandi, Somnus soporandi. ex hac igitur sublimiore daemonum copia Plato autumat singulis hominibus in vita agenda testes et custodes [singulis] additos, qui nemini conspicui semper adsint arbitri omnium non modo actorum verum etiam cogitatorum. at ubi vita edita remeandum est, eundem illum, qui nobis praeditus fuit, raptare ilico et trahere veluti custodiam suam ad iudicium atque illic in causa dicunda assistere, si qua commentiatur, redarguere, si qua vera dicat, adseverare, prorsus illius testimonio
50 ferri sententiam. proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam sententiam me interprete auscultatis, ita animos vestros ad quaecumque agenda vel meditanda formate, ut sciatis nihil homini [prae istis custodibus] nec intra animum nec foris esse secreti, quin omnia
156 curiose ille participet, omnia visat, omnia intellegat, in ipsis penitissimis mentibus vice conscientiae deversetur. hic, quem dico, prorsus custos, singularis praefectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cognitor, adsiduus observator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum inprobator, bonorum probator, si rite animadvertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur, ita ut a Socrate iustitia et innocentia cultus est, in rebus incertis prospector, dubiis praemonitor, periculosis tutator, egenis opitulator, qui tibi queat tum [in] somniis tum signis tum etiam fortasse coram, cum usus postulat, mala averrun-

14 *Plat. Tim. 90 A; Phaed. 107 D; de re publ. X, 617 E et 620 E.*

1 bonis *secl. Marklandus epist. crit. p. 103* sedibus (us *ex* is *corr. M²*) *M* vacatione *F* poenitur *Wilamowitzius* ponitur *M* punitur *F* 3 sortio *F* 4 Manium *Colvius* Manem *O* scilicet et *M* vocabulum (v *ex* ul *ut v. corr. M²*) *M* 5 hoc daemonum *scripsi* eodem *O* prudentes *M* 6 pro numine *ed. Colviana* praenomine *O* ab hominibus *F* 7 boetia *O* anfiaraus *M* anfiareus *F* affrica *M* osyris *F* 9 nostro *scripsi* numoro *O secl. Goldbacherus* 10 praestanciori *M* super his *Wilamowitzius* superius *O* 11 cūpedibus *M* 12 curant *Scioppius* curantur *O* possident *vulgo* possideant *O* 14 singulis *seclusi* singulos *ed. Romana* 18 pro illius *Scaliger* 19 proinde *edd. vett.* deinde *O* 21 nichil omnino *F* prae istis custodibus *seclusi* nec intra *vulgo* ni intra *M* non intra *F* 22 visat *vulgo* viset *O* visitet *Goldbacherus* 24 assiduus *F* 28 in *ed. Colvianam secutus seclusi* somniis *Vaticanus 3385* somnis *O* averruncare *Pithoeus* aut truncare *M* aubtruncare (b *s. l. add. F²*) *F*

care, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, secunda regere,
adversa corrigere.

‖ Quid ‖ igitur mirum, si Socrates, vir adprime perfectus et Apollinis quoque testi- 51
monio sapiens, hunc deum suum cognovit et coluit ac propterea eius custos, prope dicam XVII 157
par contubernio familiaris cuncta, quae arcenda sunt, arcuit, quae cavenda, [prae]cavit et
praemonenda praemonuit: sicubi tamen interfectis sapientiae officiis non consilio sed prae-
sagio indigebat, ut ubi dubitatione claudicaret, ibi divinatione consisteret? multa sunt 158
enim, multa, de quibus etiam sapientes viri ad ariolos et oracula cursitent. an non apud
Homerum ut quodam ingenti speculo clarius cernis haec duo distributa, seorsus divinatio-
nis, seorsus sapientiae officia? nam cum duo columina totius exercitus dissident, Agamem- 52
non regno pollens et Achilles bello potens, desideraturque vir facundia laudatus et peritia
memoratus, qui Atridae superbiam sed et Pelidae ferociam conpescat atque eos auctoritate
advertat, exemplis moneat, oratione permulceat: quis igitur tali in tempore [me] ad dicen-
dum exhortatus est? nempe Pylius orator eloquio comis, experimentis catus, senecta vene-
rabilis, cui omnes sciebant corpus annis hebere, animum prudentia vigere, verba dulcedine
affluere. itidem cum rebus creperis et adflictis speculatores deligendi sunt, qui nocte 159
intempesta castra hostium penetrent, nonne Ulixes cum Diomede deliguntur veluti con- XVIII
silium et auxilium, mens et manus, animus et gladius? enimvero cum apud Aulidem de- 53
sidibus et obsessis ac taedio abnuentibus difficultas belli et facultas itineris et tranquillitas 160
maris et clementia ventorum per fibrarum notas et alitum vias et serpentium escas explo-
randa est, tacent nempe mutuo duo illa sapientiae Graiae summa cacumina, Ithacensis et
Pylius; Calchas autem longe praestabilis hariolari, simul alites et altaria et arborem con- 161
templatus est, ac ‖ tu ‖ tum sua divinatione et tempestates flexit et classem deduxit et
decennium praedixit. non secus et in Troiano exercitu cum divinatione res indigent, 54
tacet ille sapiens senatus nec audet aliquid pronuntiare vel Hicetaon vel Lampus vel Cly- 162

10 *Hom. Il. I, 245 sqq.* 17 *Hom. Il. X, 218 sqq.* 19 *Hom. Il. II, 303 sqq.* 25 *Hom. Il. III, 147 Λάμπον τε Κλυτίον θ' Ἱκετάονά τ' ὄζον Ἄρηος.*

3 quid *om. O, addidi* 5 lar *Mercerus* q̃ *ex* q; *corr. M²* cavenda sunt *F* praecavit *O* prae *seclusi* 6 praemomenda *M* imperfectis *Wowerius* intersectis *ed. Romana* interseptis *Oudendorpius* interceptis *Casaubonus* 7 ut ibi *F* clauderet ubi *F* 8 multa *om. F* de *om. M* an *ed. Juntina II.* at *O* 9 quodam *FM²* quadam *M* seorsus sapientiae seorsus divinationis *F* 10 agamemnon *M²* agamennon *O* 11 desiderat**que (ur *superscr.*) *M²* desideratusque *M* 13 quid *F* me ad dicendum exortatus est *O* me *expunxi* exortus est *Wowerius* 14 phielius *O* 16 creperis *vulgo* crepereis *O* afflictis *F* speculatores *Ursinus* spectatores *O* diligendi *M* 17 ostium (h *superscr.*) *M* 18 apud Aulidem *scripsi* ab aulide *O* desedibus *O* 19 obsessis *M¹* tranquillitatis (tis *corr. in* s *M¹*) *M* 20 exploranda est *Kiesslingius* explorandae *O* 21 itacensis *M* 22 pilius *M* ariolari *F* arborem *Mercerus* arborum *O* 23 actutum *edd. vett.* ac tum *O* et (t *in ras. M²*) tempestates *M* deduxit decennium (*om.* et) *M* 24 troiano (i *in ras. ni f. ex* im *M²*) *M* Hicetaon vel Lampus vel Clytius *Mercerus* hic etiam vel iampo vel clitias *O*

tius, sed omnes silentio auscultant aut ingrata auguria Heleni aut incredita vaticinia Cas-
sandrae. ad eundem modum Socrati quoque, sicubi locorum aliena sapientiae officiis con-
sultatio ingruerat, ibi vis daemonis praesagia regebat; verum eius monitis sedulo oboe-
55 diebat eoque erat deo suo longe acceptior. quod autem incepta Socrati quaepiam daemon
XIX 163 ille ferme prohibitum ibat, numquam adhortatum, quodammodo ratio praedicta est. ‖ et- ‖
enim Socrates utpote vir adprime perfectus, ex sese ad omnia congruentia sibi officia
promptus nullo adhortatore umquam indigebat, at vero prohibitore nonnumquam, si quibus
forte conatibus eius periculum suberat, ut monitus praecaveret, omitteret coepta inprae-
sentiarum, quae tutius vel postea capesseret vel alia via adoriretur.

56 In huiuscemodi rebus [dixit] vocem quampiam divinitus exortam dicebat audire [ita
enim apud Platonem]. ne quisquam arbitretur omina eum vulgo loquentium captitasse.
164 quippe etiam semotis arbitris uno cum Phaedro extra pomerium sub quodam arboris opaco
umbraculo signum illud adnuntium sensit, ne prius transcenderet Ilisi amnis modicum
fluentum, quam increpitu indignatum Amorem recinendo placasset; cum praeterea, si omina
observitaret, aliquando eorum nonnulla etiam hortamenta haberet: ut videmus plerisque
usu evenire, qui nimia ominum superstitione non suopte corde sed alterius verbo reguntur
165 ac per angiporta reptantes consilia ex alienis vocibus colligunt et, ut ita dixerim, non
57 animo sed auribus cogitant. verum enimvero, ut ‖ ut ‖ ista sunt, certe quidem ominum
XX ‖ captatores ‖ arioli vocem audiunt saepenumero auribus suis usurpatam, de qua nihil
cunctentur, [de] quam sciunt ex ore humano profectam. at enim Socrates non vocem
sibi, sed vocem quampiam dixit oblatam: quo additamento profecto intellegas non usi-
tatam vocem nec humanam significari; quae si foret, frustra quaepiam, quin potius aut
vox aut certe cuiuspiam vox diceretur [ut ait illa Terentiana meretrix: a u d i r e v o c e m
166 v i s a s u m m o d o m i l i t i s]; qui vero vocem ‖ quampiam ‖ dicat audisse, aut nescit,

10 *Plat. Phaedr. 229 A et 242 B et C; cf. 243 B.* 17 per angiporta — cogitant *Vincentius Bell. spec. doctr. V, 26 et spec. hist. IV, 7.* 23 *Terent. Eun. 454.*

1 Heleni *Colvius* helenẹ *O* casandrae (s *add. s. l. M*[2]) *M* 2 socratis *M* aliena *Casaubonus* alienae *O* 3 vis *scripsi* vi *O* vi daemonis praesaga regebatur *Elmenhorstius* obẹdiebat *F* 4 deo suo *Stewechius* de suo *O* quispiam *M* daemon *vulgo* dẹmonu *O* 5 etenim *scripsi* enim *O* 7 adortatore (h *s. l.*) *M* 9 q; tocius vel potius *M* 10 dixit *secl. Goldbacherus* discebat *O* ita enim apud Platonem *seclusi* 11 apud (d *ex* t *corr. M*[1]) *M* omina *Casaubonus* omnia *O* e vulgo *Wilamowitzius* 12 una *F* opaco (*prior* o *in ras. M*[2]) *M* 13 Ilisi *Casaubonus* illius *O. cfr. Wachsmuthii de Athenarum urbe lib. p. 116. adn. 1.* amnis *FM*[2] animis *M* 14 fluenti *M* increpitu indignatum Amorem recinendo *Casaubonus* increpitū inclinatum amore retinendū *O* placasse *M* omina *Woverius* omnia *O* 15 (h *s. l.*) ortamenta *M* ornamenta *F* haberet ut *ed. Romana* habere et *O* 16 ominum *Woverius* omnium *O* susticione (per *s. l.*) *M*[1] suopte *O* suapte *M*[1] 18 utut *Stewechius* ut *O* quidem *Wilamowitzius* quid *O* (d *ex* t *corr. M*[1]) ominum *scripsi* omnium *O* 19 captatores *om. O, addidi* qua *Scaliger* quo *O* nichil *O* 20 [de] quam *Scaliger* de qua *O* 21 sed vocem *ed. Romana* sed ducem *O* addimento *F* 23 ut ait *usque ad* militis *seclusi* 24 quampiam *om. O, add. ed. Romana*

unde ea exorta sit, aut in ipsa aliquid addubitat, aut eam quiddam insolitum et arcanum
demonstrat habuisse, ita ut Socrates eam, quam sibi [ac] divinitus editam tempestive acci-
piebat. ‖ quid? ‖ quod equidem arbitror non modo auribus eum verum etiam oculis 58
signa daemonis sui usurpasse. nam frequentius non [prae] vocem sed signum divinum
sibi oblatum prae se ferebat. id signum potest et ipsius daemonis species fuisse, quam
solus Socrates cerneret, ita ut Homericus Achilles Minervam. credo plerosque vestrum
hoc, quod commodo dixi, cunctantius credere et inpendio mirari formam daemonis So-
crati visitatam. at enim contra Pythagoricos mirari oppido solitos, si quis se negaret 167
umquam vidisse daemonem, satis, ut reor, idoneus auctor est Aristoteles. quod si cuivis 59
potest evenire facultas contemplandi divinam effigiem, cur non adprime potuerit Socrati
optingere, quem cuivis amplissimo numini sapientiae dignitas coaequarat? nihil est enim
deo similius et gratius quam vir animo perfecte bonus, qui hominibus ceteris ‖ tam ‖
antecellit, quam ipse a diis inmortalibus distat.

Quin potius nos quoque Socratis exemplo et commemoratione erigimur ac nos se- 60
cundo studio philosophiae † pari similium numinum caventes permittimus? de quo quidem XXI
nescio qua ratione dirapimur; et nihil aeque miror quam, cum omnes et cupiant optime 168
vivere et sciant non alia re quam animo vivi nec fieri posse quin, ‖ ut ‖ optime vivas,
animus colendus sit, tamen animum suum non colant. at si quis velit acriter cernere,
oculi curandi sunt, quibus cernitur; si velis perniciter currere, pedes curandi sunt, quibus
curritur; itidem si pugillare valde velis, brachia vegetanda sunt, quibus pugillatur. simi- 169
liter in omnibus ceteris membris sua cuique cura pro studio est. quod cum omnes facile 61
perspiciant, nequeo satis mecum reputare et proinde, ut res est, admirari, cur non etiam
animum suum ratione excolant. quae quidem ratio vivendi omnibus aeque necessaria est,
non ratio pingendi nec ratio psallendi, quas quivis bonus vir sine ulla animi vituperatione,
sine turpitudine, sine labe contempserit. 'nescio ut Ismenias tibiis canere, sed non pudet
me tibicinem non esse; nescio ut Apelles coloribus pingere, sed non pudet me non esse
significem'; et idem in ceteris artibus, ne omnes persequar, licet tibi nescire nec pudet.

11 nihil est — antecellit *Vincentius Bell. spec. doctr. VI, 31 et spec. hist. IV, 7.* 17 nihil aeque miror — *p. 21, 24* nec accessit *Ioann. Sarisberiensis Polycraticus sive de nugis curial. VI. 28.*

1 aliquid (d *ex* t *corr. M*[1]) *M* ut eam *M* archanum *F* 2 ac *om. ed. Wowerii* accipiebat *Koziolius* accidebat *O* 3 quid *om. O, addidi* 4 prae *secl. ed. Romana* 8 usitatum *F* contra *Mercerus* scdm *O* pytagoricos *O* 9 cuuis (i *s. l.*) *M*[1] 11 obtingere *M et* b *ex* p *corr. F*[2] quoaequarat *M* coaequaret *M*[2] nichil *F* 12 *post* qui *s. l.* s. tantū *F*[2] tam *om. O, addidi* 16 dirapimur *ed. Romana* dei rapimur *O* nichil *F* 17 ut *om. O, add. ex codd. deterioribus* vivas nisi animus *F* 20 itidem *FM*[2] ut idem *M* pugillare (g *ex* b *corr. M*[1]) *M* 21 mbris ceteris *F* (*notas transpositionis add. F*[1]) 22 perinde *F* 25 labe *ed. Romana* labore *O an* rubore? Ismenias (s *s. l.*) *F*[1] smenias (*corr. ni f. ex* sinenias) *M*[2] 26 appelles *O* me significum non esse *inverso ordine F* 27 significem *Vulcanius* significum *O* ne *M* ni *F* pudeat *F*

xxii enimvero dic sodes: 'nescio bene vivere, ut Socrates, ut Plato, ut Pythagoras vixerunt,
170 62 nec pudet me nescire bene vivere'; numquam hoc dicere audebis. sed cumprimis mirandum
est, quod ea, quae minime videri volunt nescire, discere tamen neglegunt et eiusdem artis
disciplinam simul et ignorantiam detractant. igitur cotidiana eorum aera dispungas: in-
venias in rationibus multa prodige profusa et in semet nihil, in sui dico daemonis cultum,
qui cultus non aliud quam philosophiae sacramentum est. plane quidem villas opipare
171 extruunt et domos ditissime exornant et familias numerosissime conparant, sed in istis
omnibus tanta affluentia rerum nihil est praeterquam ipse dominus pudendum. nec in-
iuria; cumulata enim habent, quae sedulo percolunt, ipsi autem horridi, indocti incultique
63 circumeunt. igitur illa si spectes, in quae patrimonia sua profuderunt, amoenissima et ex-
tructissima et ornatissima deprehendas, villas aemulas urbium conditas, domus vice templo-
rum exornatas, familias numerosissimas et calamistratas, opiparam supellectilem, omnia
affluentia, omnia opulentia, omnia ornata praeter ipsum dominum, qui solus Tantali vice in
172 suis divitiis inops, egens, pauper non quidem † fluentem illum fugitivum captat et
fallacis undae sitim ‖ patitur ‖ sed verae beatitudinis id est secundae vitae et prudentiae
64 fortunatissimae esurit et sitit. quippe non intellegit aeque divites spectari solere, ut equos,
xxiii ‖ quos ‖ mercamur. neque enim in emendis equis phaleras consideramus et baltei poli-
173 mina inspicimus et ornatissimae cervicis divitias contemplamur, si ex auro et argento et
gemmis monilia variegata dependent, si plena artis ornamenta capiti et collo circumiacent,
si frena caelata, si ephippia fucata, si cingula aurata sunt; sed istis omnibus exuviis amo-
litis equum ipsum nudum et solum, corpus eius et animum contemplamur, ut sit ad spe-
ciem honestus et ad cursuram vegetus et ad vecturam validus: iam primum in corpore si
est argutum caput, brevis alvus obesaque terga luxuriatque toris ani-
174 mosum pectus honesti; praeterea si duplex agitur per lumbos spina. volo enim
65 non modo perniciter verum etiam molliter pervehat. similiter igitur et in hominibus con-
templandis noli illa aliena aestimare, sed ipsum hominem penitus considera, ipsum ut

2 mirandum — detractant *Vincentius Bell. spec. doctr. VI, 46 et spec. hist. IV, 7.* 16 aeque divites — vecturam validus *Vincentius Bell. spec. doctr. V, 22 et spec. hist. IV, 7.* 23 *Verg. Georg. III, 80 sqq.* argutumque caput, brevis alvus obesaque terga, luxuriatque toris animosum pectus; honesti spadices glaucique. 25 similiter — specta *Vincentius Bell. spec. hist. IV, 7.*

1 pytagoras *F* 2 bene vivere nescire *F* (*sed punctis s. l. additis ordinem invertit* F^1) 4 detrectant FM^2 cottidiana *M* invenies *F* 5 nichil *F* dio *M* 6 filosofiae *M* 8 nichil *F* 10 illa si spectes *Goldbacherus* illas species *O* illa spectes *Mercerus* amenissima *F* extructissima *M* (c *in ras. 2 litt.* M^2) exstructissima *F* 11 opiparam *M* (*post.* a *in ras.* M^2) supplectilem *M* suppellectilem *F* 13 opulenta *F* solus *om. F* inobs *M* 15 sitit *Mercerus* patitur *om. O, addidi* 16 spectare *M* ut (t *s. l. add.* M^1) *M* 17 quos *om. O, addidi e Vincentio Bell.* faleras *O* polimina FM^2 molimina *M* 19 variegata *Brantius* vario gaza *M* variae gazae *F* dependet *M* capiti *vulgo* capite *O* 20 epi(h)ppia M^2 epippia *O* si cingula *vulgo* si singula *F* singula *M* exubiis *F* 22 honestus ad (*om.* et) *F* 23 est *scripsi* sit *O* obeseque *M* obesaq; ** M^2 25 perveat *M* 26 aestimare *vulgo* existimare *O*

meum Socratem pauperem specta. aliena autem voco, quae parentes pepererunt et quae
fortuna largita est, quorum nihil laudibus Socratis mei admisceo, nullam generositatem,
nullam prosapiam, nullos longos natales, nullas invidiosas divitias. haec enim cuncta, ut
dico, aliena sunt. sate Porthaone, gloria ‖avus‖ est, qui talis fuit, ut eius 175
nepotem non puderet. igitur omnia similiter aliena numeres licebit. 'generosus est': 66
parentes laudas. 'dives est': non credo fortunae. ‖nec‖ magis ista dinumero. 'validus
est': aegritudine fatigabitur. 'pernix est': abibit in senectutem. 'formosus est': expecta
paulisper et non erit. 'at enim bonis artibus doctus et adprime est eruditus et, quantum
licet homini, sapiens et boni consultus': tandem aliquando ipsum virum laudas. hoc enim
nec a patre hereditarium est nec ‖a‖ casu pendulum nec a suffragio anniculum nec a
corpore caducum nec ab aetate mutabile. haec omnia meus Socrates habuit et ideo cetera
habere contempsit. quin igitur et tu ad studium sapientiae accingeris vel properas saltem, 67
ut nihil alienum in laudibus tuis audias, sed ut, qui te volet nobilitare, aeque laudet ut 176
Accius Ulixen laudavit in Philocteta suo in eius tragoediae principio: inclite, parva
prodite patria, nomine celebri claroque potens pectore, Achivis classibus 177
ductor, gravis Dardaniis gentibus ultor, Laërtiade. novissime patrem memo-
rat. ceterum omnes laudes eius viri audisti. nihil inde nec Laërtes sibi nec Anticlia nec
Arcisius vindicat: [nec] tota, ut vides, laudis huius propria Ulixi possessio est. nec aliud 68
te in eodem Ulixe Homerus docet, qui semper ei comitem voluit esse prudentiam, quam
poetico ritu Minervam nuncupavit. igitur hac eadem comite omnia horrenda subiit, omnia 178
adversa superavit. quippe ea adiutrice Cyclopis specus introiit, sed egressus est; Solis
boves vidit, sed abstinuit; ad inferos demeavit et ascendit; eadem sapientia comite Scyllam
praeternavigavit nec ereptus est; Charybdi consaeptus est nec retentus est; Circae poculum
bibit nec mutatus est; ad Lotophagos accessit nec remansit; Sirenas audiit nec accessit.

1 aliena voco — fortunae *Vincentius Bell. spec. hist. IV, 7.* 14 *cfr. Accii fragm. v. 520 sqq. Ribb.*

1 expecta *M* 2 nichil *F* 4 sate Porthaone gloria avus est *scripsit et senarios agnovit Wilamowitzius* sate prothaonio gloria est *M* sat eprothanio est gloria *F* (*uterque om.* avus) 6 nec *om. O add. ed. Romana* 7 abibit *ed. Romana* abiit *M* abit *F* 10 a *om. O, add. Koziolius* 12 accingeris *scripsi* ingeris *O* origeris *Rohdius* saltem *Joannes Saresb.* altum *O* 14 actius *M* filotecta *M* 15 prodite *Parisinus 8624* predite *M om. F* achivus *M* 16 ductor *Joannes Sarisb.* auctor *O* dardaniis *Joannes Sarisb.* dardanis *O* lertiadę *F* lerciadę *M* 17 anticlia FM^2 anticilia *M* 18 Arcisius *Stewechius* arcissius *O* nec *M seclusi* haec *F* ulixis *F* 19 hom$\overset{e}{a}$rus F^2 20 p$\overset{o}{e}$tico M^1 noncupavit *M* (o *corr. in* u M^2) hac FM^2 hæc *M* 21 adiutrice (*prior* i *in ras.*) *M* introivit *M* 22 scillam *M* 23 carybdi *F* caribdi *M* cyrcae *F* circe *M* poculum (*prior* u *corr. ex* a M^2) *M* 24 lotofagos *O* syrenas *O* APVLEII PLATONICI PHILOSOPHI MADAVR. DE DEO SOCRAT. EXPŁ. *M; nulla subscriptio in F.*

Adnotationes criticae.

Quandoquidem in maioribus Apulei operibus qua ratione critico agendum esse censerem nuper in act. soc. phil. Lips. a Ritschelio edit. vol. III pp. 445 sqq. pluribus demonstravi, hac scribendi occasione oblata eiusdem de deo Socratis dissertationem quantum potui amicis adiuvantibus emendatam proposui, quo de minorum librorum condicione critica meam sententiam patefacerem. quam ut plenius etiam exponam, exemplis ex hoc libro allatis de horum operum codicibus eorumque variis corruptelis breviter dicturus sum.

I. Atque codices quidem Goldbacherus, vir de Apuleio optime meritus, ex uno omnes archetypo manasse verissime statuit. adeo et litterarum inter se permutationibus et falsis vocabulorum repetitionibus et lacunis et interpolationibus inter se congruunt. idem cum duas eorum classes constitueret, melioris esse voluit Monacensem 621 Vaticanum 3385 Gudianum 168 Parisinum 8624, deterioris Parisinum 6634 Laurentianum plut. LXXVI, 36 Florentinum, eum qui cum olim in monasterio sancti Marci numero 284 notatus servaretur, nunc in bibliothecam Laurentianam transportatus est. at mihi quidem satis esse visum est ex hac tanta librorum manuscriptorum farragine, qui illas classes repraesentarent seligere Monacensem et Florentinum, utrumque saeculo duodecimo exaratum; ubi deficit Monacensis, in extrema parte libri de mundo, in eius locum substituendus est Vaticanus 3385 praeter corruptelas calami lapsu ortas Monacensi ita gemellus, ut de eodem exemplari quin transscriptus sit minime possit dubitari. namque ceterorum codicum memoriam si quis cognoverit Goldbacheri apparatu usus, facere non poterit, quin confiteatur eos in gravioribus certe rebus cum his consentire; quae autem singularia prodant, ea, si vera sint, ab hominibus peritis coniectando inventa, sin minus, librariorum in scribendo socordia nata esse. hos igitur totos abieci praeter coniecturas aliquot, quas cum ex virorum doctorum commentariis haurire possem, tamen malui recipere maxime e Parisino 8624. Monacensis autem et Florentini variam lectionem praeter leviores discrepantias orthographicas totam ex meis collationibus apposui. illum enim nuper ab Halmio, qua est humanitate, transmissum Flensburgi, hunc dum Florentiae bibliothecae Laurentianae thesauros excutio quam potui diligentissime contuli*). praeterea veterum testimonia pariter atque Goldbacherus collegi, sed nolui e Vincentii Bellovacensis et Ioannis Sarisberiensis excerptis scripturae discrepantiam totam adnotare: nam eos codicibus interpolatis usos esse manifestum est.

---

*) Aliquot codicis Monacensis locos, de quibus dubitatio quaedam mihi subnata erat, facile impetravi a Guilelmi Meyeri Spirensis amicitia, ut iterum inspiceret.

Atque hi codices quamquam ex uno archetypo oriundi sunt, tamen eadem ex eo via deducti esse non possunt; neque enim desunt quibus inter se dissentiant. quodsi utrius maior sit fides quaeris: illud unde Monacensis descriptus est exemplar et virtute sua et ipso tempore paulo propius ad archetypum accedit, Florentini parens ut tempore longius abest ab illo, ita manu interpolatrice tractatus est. nam primum si quae lacunis hausta sunt, ea imprimis in prooemio Monacensis spatio aliquot litterarum vacante indicavit, Florentinus contra hiatum aut non agnovit aut falsis additamentis explevit. adde quod veram lectionem his locis solus Monacensis tenuit: § 14 *rimabundi* M *mirabundi* F — § 17 *ineffabili* M *et ineffabili* F: noluit *maiestatis incredibili quadam nimietate ineffabili* sine particula copulativa componi, quod vitium sustulit Vulcanius scribendo *incredibilis.* — § 21 *propī* M *prompto* F; demonstraturus est Apuleius nullum deum misceri hominibus. hic igitur numquid interest hominum intellectus ad deos cognoscendos utrum promptus sit an tardus? at non nihil interest audire deos ita tamquam absconditos esse, ut hominum intellectu haud facile noscantur. ergo reiecto illo *prompto* id quod proxime ad Monacensis lectionem accedit reposui *prompte* i. e. *propte.* — § 31 *gignerent* M *gignerent* F; verius est quod Mercerus restituit *gigneret*, quia ante scriptum est *cur . . . natura pateretur.* — § 35 *regetioris* M *veterioris* F — § 40 *videri perfectus* M *videri perfectius* F; quod et sententiae et grammaticae contrarium futtili Hildebrandi explicatione defendi non potest. — § 43 *longa varietate* M *longe varietate* F; illud emendare conatus est, quia ignorabat Apuleium *longa* pro *magna* dixisse etiam in apol. c. 92 p. 103, 2 Kr. *nubere volens longa dote et molli condicione invitasset iuvenem;* cfr. de deo Socr. § 11 *quanto longius facessat a sole, tanto longius conlustrata,* quaesito illud verborum lusu dictum. — § 46 *iam prius* M *iam diu* F; de quo loco postea uberius dicendum est. — § 56 *ortamenta* M *ornamenta* F — § 67 *nec* M *haec* F; *nec* ut e versu qui antecedit perperam repetitum debebat potius eicere, quam mutare in illud *haec*, quod non coit cum eo quod statim legitur *laudis huius.* — Sed sunt etiam quibus Florentinus praestet Monacensi, veluti haec: § 2 *etiam remittere* F *etiam mittere* M; § 22 *nutabilem* F *mutabilem* M; § 35 *robus* F *robur* M *rodus* Mercerus. neque dubium est, quin § 8 *ore* a Monacensi propagatum pro interpretamento olim adscriptum sit vocabulo insolentiori, quod servavit Florentinus *rictu.* denique § 41 veriora sunt quae leguntur in Florentino *ut ira incitentur . . . flectantur . . . invitentur . . . leniantur . . . exasperentur . . . mulceantur . . . varientur* quam ea, quae Monacensis fide nituntur *et ira incitantur . . . flectuntur . . . invitantur . . . leniantur . . . mulceantur . . . variant.* hoc efficitur illo *mulceantur*, quod utriusque codicis testimonio firmatur. nam si Apuleius indicativos praetulisset, cum ceteri per ipsam formam proni essent ad depravationem, tamen *mulcentur* certe non facile abisset in *mulceantur*, quod indicativi formam una litterula superabat. nunc vero quod coniunctivis usus est, eadem de causa illud *mulceantur* in utroque codice locum suum tenuit. item *varientur* a Florentino bene vel servatum vel inventum est; nam *variant,* a Monacensi traditum, qui pro transitivo usurpatum defendit, concinnitatem adhibitis

formis passivis sine dubio quaesitam miserrime violat. ceterum in principio periodi quod in Florentino legitur *ut* copulavi cum eo quod testatur Monacensis *et* scribens *ut et*, ne deesset ante *ira* particula *et*, qua in hac enumeratione aegre caremus. — Sed ne consensus quidem Monacensis et Florentini satis certum verae scripturae testimonium dat: tot omnigenis corruptelis scatebat communis eorum archetypus.

II. Ordiamur ab eo genere, quod paucis litteris inter se commutatis aut perperam vel adiectis vel demptis oritur. quo tamen in genere non commemorabo nisi quae aut ipse primus meo periculo novavi aut a veteribus inventa sed a recentioribus fere spreta in lucem protraxi. venit igitur primus in iudicium locus e § 4 omnium gravissime deformatus, quem ad codicum memoriam totum exscribere par est: *verbo subito sumpta sententia est, quia de repentino oborta est, quasi velut in maceria lapides temerario interiectu poni necesse est neque interiecto intrinsecus pondere neque conliniato (conlintato* M.) *pro fronte situ neque conibentibus* (*conniniventibus* ni f. M.) *ad regulam lineis: quippe qui structor orationis huius egomet non e meo monte lapidem directim caesum adferam probe omnifariam complanatum, leviter ex optimis oris (complanatum oras* M, sed ita, ut intersit septem litterarum spatium vacuum) *ad unguem coaequatum, sed cuique operi adcommodem vel inaequalitate aspera vel lenitate lubrica.* in his iamdudum correxerunt *coniventibus* et *levitate;* nuper quod Salmasius sententiae aptissimum proposuerat *extimas oras* Goldbacherus merito recepit; namque *oras* a Monacensi servatum docet in archetypo scriptum fuisse [ex] *optimas oras*, ex qua correctura nescio quis homo imprudens fecit illud *ex optimis oris*, quod invenitur in Florentino. sed restant alia quae correctorem exspectent. qui se *huius orationis structorem* dicit, non *cuique operi* sed uni tantum materiam accommodat; deest autem in hoc membro id, quod oppositum sit illi, quod in altero scriptum est *e meo monte.* restitui igitur *undique.* praeterea de *sumpta* verbo dubitans Wilamowitzius proposuit *compta.* quod quantumvis mihi arrideat, tamen illud defendi posse censeo. Apuleius enim, quamquam probe scit in eorum qui audiant manu situm esse orationem suam subitariam probare vel improbare, tamen profitetur philosophiae studium tam impensum facere, ut eorum iudicium non extimescat*). hanc autem sententiam per illud Aristippi dictum profert idque subito obortum verbo subitario citando se arripuisse simulat. atqui haec citandi vis, quam statuo, inest in sumendi verbo etiam apud Cic. pro Sestio 12, 27 *quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam pro uno cive . . . uni-*

*) Ita enim ego existimo haec inter se cohaerere, quae disiecta membra orationis visa sunt Rohdio, cum in ephem. litt. Jenens. a. 1876 p. 779 sqq. de Goldbacheri editione dissereret. e coniecturis, quas ibidem proponit, aliquot postea commemorabo: hic, quia in consensu aliquod veritatis testimonium inest, addam me quoque iam dudum § 2 *vobiscum parienda* et § 5 *oppido quam . . desiderabant* restituisse et § 18 *faciam* eiecisse. sed desperatum locum, qui legitur § 60, non mihi videtur sanasse pro *caventes* scribendo *faventiae.* nam aptum esse a *permittimus* verbo alterum dativum, scilicet *secundo studio philosophiae*, sententiarum conexus docet.

versum senatum . . . mutasse vestem; et pro Roscio Amer. 16, 47 *quasi vero mihi difficile sit quamvis multos nominatim proferre . . ., verum homines notos sumere odiosum est . . .* cfr. de orat. II, 53, 215. haec igitur sana esse videntur; neque ausus sum recipere quod idem Wilamowitzius commendabat *conlimata pro situ fronte*, quamquam illud *conliniato pro fronte*, i. e. *ita ut frons fiat, situ* concedo non omni ex parte sententiae satisfacere. iam vero inspiciamus cetera. quis umquam *quasi velut* conglutinavit? quomodo *quippe qui structor orationis huius egomet . . .* inter se conveniunt? quis intellegitur illo *qui*? quae tandem in his omnino sententia inest? quodsi animum adverteris ad id quod sequitur *nulla enim res potest esse eadem festinata simul et examinata*, non dubitabis profecto, quin aliquo modo Apuleius excusaverit, quod illam de Aristippo historiam subito arreptam qualicunque modo narraverit. quod cum teneret Wilamowitzius, lenissime totum locum ita refinxit *quodsi velut in maceria lapides temerario interiectu ponere necesse est . . . quippini structor orationis huius egomet non e meo monte lapidem directim caesum adferam . . . sed undique operi adcommodem vel inaequalitate aspera . . .?* — Quae paulo post secuntur, ea graviter mutilata ita leguntur in Monacensi *nulla enim res potest esse eadem festinata simul et examinata* (hic spat. 23 litt. vac. *nec est* add. m. rec. in M. *nec esse* F.) *quicquam omnium quod habere (possit* add. m. rec. in M.) *et laudem diligentiae simul et gratiam celeritatis.* neque illud *nec esse* vel *nec est*, praeterquam quod spatium in Monacensi vacuum plane non explet, ferri potest, quia efficit formam periodi nemini Romano probatam. quid? quod ne per sententiam quidem haec duo commata eodem ambitu comprehendi licet, quippe quae eandem fere sententiam contineant. itaque si quid video, posterius membrum ita resarciendum est, ut prioris sententiae documentum addat. ergo haec proponere ausus sum ‖ *an vos ipsi vidistis umquam* ‖ *quicquam omnino, quod haberet laudem diligentiae simul et gratiam celeritatis?* nam pro *habere* et reponere *haberet* ideo consentaneum est, quod dici nequit *et . . . simul . . . et;* cfr. ea quae antecedunt et § 52 *ea . . . discere tamen neglegunt et eiusdem artis disciplinam simul et ignorantiam detrectant.* hoc autem si verum est, verbi tempus perfectum exigitur in initio sententiae. postremo *omnino* scripsi pro *omnium*, quod explicari non potest. — § 6 codices haec tradunt *eo quoque tamen vulpes, qui alipedem nequibat, dolum iecit,* apertissime corrupta. unde Goldbacherus edidit *quia alipedem sequi nequibat*, sed certe non persanavit locum, quia etiam illud *alipedem* vitio laborat. hoc enim nomine Latine non nuncupantur ipsae aves, sed bestiae celeritate insignes velut cervi atque equi (cfr. Lucret. VI, 765; Verg. Aen. XII, 484) et Mercurius pedibus alatis instructus (cfr. Ovid. met. XI, 312). ego igitur redii ad Oudendorpii sententiam edentis *quia illa* (vel *illuc*) *pedem nequibat* i. e. *iacere*, sed omisi *illa* vel *illuc* propterea, quod ex initio sententiae *eo* etiam huc referendum est. ceterum etiam *tamen* non modo a verborum collocatione verum etiam ab ipsa notione sua suspectum mihi est. Colvii editio exhibet *tum;* mihi *iam* et sententiae aptum esse et propius abesse videtur a *tam̄* *). — § 10 cur coniunctivus *pertineat* adhibeatur, nulla causa

*) In his quae eodem loco leguntur *sublime evectus in quadam proxima quercu in summo eius cacumine*

est. lege *pertinet.* — § 11 codices testantur haec *sive illa* (i. e. *luna*) *proprio seu perpeti candore . . . speciem sui variat, seu tota proprii candoris expers . . . denso corpore seu levi seu* (*ceu* M[2]) *quodam speculo radios solis . . . usurpat.* in his illud *seu*, quod legitur ante *perpeti*, cum orationis perspicuitatem imminuere et a sententia abhorrere sentiret, Rohdius mutavit in *sibi*, ego addidi *et*, quo *proprio* et *perpeti* coniungerentur; ortum esse videtur *seu* e scriptura $\overset{i}{s}$ *et.* sed eisdem de causis displicet quod edere solent altero *seu* antecedente *denso corpore seu levi ceu* (*seu* codd.) *quodam speculo.* ego illud, quod in codicibus extremo loco invenitur, delevi ut falso iteratum, pro eo quod antecedit reposui *ceu.* — § 13 legitur *radiantis deos* (i. e. *stellas*) *quibus caeli chorum comptum . . . visimus.* quod si verum esset, Apuleius non stellas in caelo comparentes, ut solent (cfr. Stat. Achill. I, 643), sed ipsum caelum chori nomine dictitasset. Kiesslingius autem restituit *cohum*, quo vocabulo Apuleius, ut est antiquitatis studiosus, post Ennium usus est. cfr. Ennius Ann. v. 550 Vahl. et Varro de l. L. V, 19 p. 8 M. — § 14 certorum deorum *potentiae animis coniectatae per varias utilitates in vita agenda animadversae* esse dicuntur. haec inter se pugnare ipsa sententia manifestum est. ergo editores non debebant spernere quod iam dudum editio Colviana exhibebat *animadversas.* — § 18 quae ita tradita sunt *sed nunc non de errorum disputatione sed de naturae distributione disseremus*, ea duplici mendo inquinata sunt. *errorum disputatio* omnino nulla est neque futuro tempori *disseremus* hic locus est, quoniam in ipsa naturae distributione explicanda versamur. debebant igitur editores et *dispunctione* a Lipsio et *disserimus* a Mercero commendatum recipere *). — § 20 Apuleium scripsisse credunt *habetis . . . deos* (et homines) *. . . nullo inter se propinquo communicatu.* at ex ipsius opinione nullo conexu, neque longinquo neque propinquo, dei cum hominibus continentur; cfr. § 21. ergo legendum erat Stewechio auctore *propinquos* i. e. *vicinorum more conexos.* — § 22 sententiam sane restituit Goldbacherus scribendo *raro aditu sit* (*aditus et* codd.): tamen cum huius locutionis exempla non habeam, magis mihi placet quod Oudendorpius proposuit *aditus det;* idque recepi etiam *raro*, ut par erat, mutans in *raros. aditum dare* dixit Cic. de orat. III, 2, 7 et Livius XXII, 42, 42; cfr. Ovid. art. am. I, 163; et pluralem substantivi numerum usurpavit Cic. de imp. Cn. Pomp. 14, 41; ad fam. VI, 13, 3. — § 25 abiectis ceterorum editorum aut explicationibus aut correcturis probavi quod Mercerus scripserat *utrumque idoneum non est propter quod adiures, ne ut* (*nere* codd.) *per ista iuretur* i. e. *nedum per ista iuretur.* neque enim totum locum spectanti dubium tibi erit, quin de eius sententia ille unus omnium vere iudicaverit: *non digna sunt,* inquit,

---

tutus sedit mallem scribere *in quandam proximam quercum;* sed non ausus sum propter locum simillimum, qui exstat § 67 *ut Accius Ulixen laudavit in Philocteta suo in eius tragoediae principio.*

*) Quod paulo post legitur *ratione plaudentes* satis et firmatum et explicatum mihi videtur hoc e met. V, 12 loco *nuntio Psyche laeta florebat et divinae subolis solacio plaudebat et futuri pignoris gloria gestiebat et materni nominis dignitate gaudebat.* itaque *gaudentes* quod in Augustini codice Corbeiensi fertur verae lectionis interpretamentum est.

propter quae iuretur, tantum abest, ut per ista iuretur. et uno saltem loco insolitum sane *ne ut* videtur usurpasse Apuleius in flor. XVI p. 25, 10 Kr. *quae mihi ne in mediocribus quidem civitatibus unquam defuere, ne ut Carthagini desint.* — § 26 *divinae mediae potestates* carere possunt verbo *intersitae,* non possunt illa *in isto aëris spatio.* recepi igitur Elmenhorstio suadente *intersito;* cfr. § 30 *hoc solum* ‖ *inter* ‖ *quattuor elementa* [*aëris*] *quod tanto spatio intersitum est* et § 32 *vis aëris quae . . . interiacet.* — Qui paulo post haec *hos Graeci nomine* δαίμονας *nuncupant,* ni fallor, eis quae leguntur § 47 *nomine Manem deum nuncupant* satis defensa esse sibi persuadent, ei illud *nomine* ab Apuleio per tautologiam additum esse credunt. quod melius de eo statuo, Colvio assensus hic *Graeco nomine,* illic *nomine Manium* scripsi. — Neque ferendum est post *caelicolas terricolasque* pluraliter memoratos quod tuentur *utriusque interpretes.* poterant Oudendorpio cedere *utrimque* scribenti, sed verius est quod olim ab Usenero propositum, a Rohdio nuper repetitum et ipse inveneram *utrisque.* — § 28 mira superstitione codices venerantur qui *praedicent* tenentes insolitam huius verbi vim statuere malunt, quam Stewechii monitu una litterula immutata *praedicant* recipere, quod insequenti *addicant* commendatur. — Item § 29 illud *somnium pingat,* quod significare non potest nisi *somnium variare,* dudum loco cedere debebat Salmasii coniecturae *somnium fingat,* confirmatae illi quidem eis quae supra § 27 leguntur *somniis conformandis.* — § 30 Apuleius demonstrare conatur ne aëra quidem suis animalibus carere. *Quid igitur,* inquit § 32, *tanta vis aëris . . . vacabitne animalibus suis atque erit ista naturae pars mortua ac debilis?* ergo non quaeret, cur hunc solum natura patiatur *cassum ab omnibus* (*^{h}omnibus* M, sed *h* add. et *m* corr. in *mi* M[1]), sive animalibus sive inanimis. lege *animalibus,* quod invenit Wilamowitzius. — § 33 e Merceri emendatione restitui *nec flammida* i. e. *ne flammida quidem.* nam hic locus vel propterea, quod alterum *ne* subsequitur, differt ab eis, quos Hildebrandius I p. 66 ad usum *ac ne* particularum illustrandum collegit. — § 36 aspernari non debebant quod Vulcanius coniecit *tum.* nam si tenent quod codices testantur *cum lanarum velleribus similes aguntur, cano agmine,* primum in altero commate deest verbum, tum utriusque membri eadem sententia est, ut si dixeris, *cum nubes albae aguntur, albo agmine aguntur.* — § 37 lacunam, quam Goldbacherus indagaverat post *subtilior* (hoc enim habent codd.), una litterula addita explevi scribendo *subtiliora.* sequerer Mercerum haec proponentem *quae sunt concreta multo tanto subtiliore,* nisi praestaret *concreta* pro substantivo adhibitum servare propter illud, quod § 34 scriptum est *corporum texta.* — Difficiliora sunt quae subsecuntur *non enim ex hac faeculenta nubecula tumida caligine conglobata, sicuti nubium genus est, sed ex purissimo aëris liquido et sereno elemento coalita.* ac primum propter concinnitatem quam dicunt ut *coalita* ita etiam *conglobata* pro nominativo casu accipiendum et ad *daemonum corpora* referendum est. quo facto apparet aut *et* addendum, quo iungantur *nubecula* et *caligine,* aut *faeculentae nubeculae* scribendum esse. quid vero dicam de *tumida caligine?* nubeculae sive caliginis nomine dicuntur vapores a terra et aqua exhalati. cfr. Apul. de mundo c. 8 *nebula constat aut ex*

ortu nubeculae aut ex eius reliquiis; est autem exhalatio vaporata . . ., cui serenitas obolitionem infert; nec aliud est serenitas quam aër purgatus caligine; et Plin. h. n. II, 42, 1 *umidam a terra, alias vero propter vaporem fumidam exhalari caliginem certum est.* quod cum ita sit, tumor caliginis qualis sit nemo erit praeter Hildebrandium qui intellegat. atque Lipsius *humida*, Colvius *et umida* proposuerunt; quae notio inest in ipso nubeculae nomine. ergo potius ut purissimo aëris elemento faeculenta nubecula et serenitati aëris caligo contraria est, ita quaerendum esse videtur quod opponi possit aëris liquiditati. innisus igitur loco Pliniano quem modo attuli *fumida* scripsi. — § 38 in his *Minerva igitur Achilli moderando . . . advenit: soli perspicua est, aliorum nemo tuetur* cum structuram periodi solutam esse intellegerent, post *igitur* Rohdius interposuit *cum*, Koziolius in ephem. gymn. Austriac. a. 1877 p. 750 *quae.* sed qui Homeri versum ex Il. I, 198 comparaverit, is totum locum e veteribus editionibus ita constituere non dubitabit *Minerva . . . advenit soli perspicua, ast aliorum nemo tuetur.* — § 43 totius loci sententia postulatur, ut commemorentur dei, qui certis et statutis caerimoniis, quamvis inter se diversis, colantur, non ei, *qui nocturnis vel diurnis, promptis vel occultis, laetioribus vel tristioribus hostiis vel caerimoniis vel ritibus gaudeant.* neque eorum, quorum nihil interest quo modo animadvertantur, iusta exempla sunt *Aegyptia numina ferme plangoribus, Graeca plerumque choreis, barbara autem strepitu cymbalistarum* assueta; immo haec quam maxime ab illis diversa sunt. ergo initium periodi ut concedentis sententiam prae se ferat, e codicum vestigiis, quorum Florentinus *et si nonnullos*, Monacensis *et sunt nonnullis* exhibet, ita conformandum esse videtur *et si nonnulli s̄* i. e. *sunt.* at alterum membrum, quod affirmantis esse debet, non mihi contigit ut sanarem: deest autem praeter particulam aliquam velut *at* vel *tamen* ipsum verbum. — § 48 quod codices exhibent *qui quondam in corpore numero fuere* Goldbacherus emendare conatus est seclusa *numero* voce. sed haec quamquam potuit accidere ut e sequenti versu anticiparetur, tamen malui e *nūo* facere *nr̄o* i. e. *nostro*, ut in humano corpore hi daemones versati esse dicerentur. cfr. Servius ad. Aen. III, 63 *Manes animae dicuntur . . . quae in corpore nostro Genii dicuntur.* — Paulo post in codicibus haec scripta leguntur *sunt . . . superius aliud augustius genus daemonum* omissa particula copulativa: quae cum deesse non possit, plerumque editur *augustiusque.* sed ex his adiectivis, cum eandem fere vim habeant, alterum tollere praestat e Wilamowitzii sententia reponendo *super his.* — § 54 solent restituere *Lampo*, quod sane proxime abest ab eo quod codices testantur *iampo.* attamen cum aequum sit Apuleium de persona Homerica loquentem Homerica nominis forma uti, Merceri hortatu *Lampus* recipere non dubitavi, idque eo minus, quod miserrime hoc loco nomina depravata sunt. — Paulo post e coniectura Elmenhorstii vulgo legitur *ibi vi daemonis praesaga regebatur* (*praesagia regebat* codd.). quod si probatur, certe in principio periodi ne illud *Socrati*, quod Florentino teste legitur, insolita verborum collocatione admissa cum eis quae subiuncta sunt iungere cogamur, e Monacensis auctoritate *Socratis* exhibentis scribendum est *Socrates.* sed nescio an etiam leniore medela locus ita refingi possit *Socrati quoque . . . vis daemonis*

praesagia regebat. cfr. § 27 *per hos eosdem . . . omnes . . . praesagiorum species reguntur.* — Postremo § 64 scripsi *in corpore si est* (*sit* codd.) *argutum caput.* unus enim coniunctivus inter tot indicativos et antecedentes et subsequentes tolerari nequit. dixi de litterarum inter se permutationibus.

III. Nunc compendiis litterarum vel syllabarum falso vel omissis vel additis nonnumquam etiam in his codicibus orationem deformatam esse ostendam. ita, ut ea exempla colligam, de quibus iam nulla dubitatio est, factum est, ut scriptum legamus § 2 *opibus* pro *opibus*, § 5 *desiderabant* pro *desiderabant*, § 21 *contaminatur* pro *contaminātur*, § 33 *temperandę* (*temperande* M) i. e. *temperandae* pro *temperanda ē*, § 40 *usus* pro *ūsus*, § 45 *possidet* pro *possidēt*, § 48 *curant* pro *curant*, § 52 *spectatores* pro *spectatores*, § 58 *increpitū inclinatum amore retinendū* pro *increpitu indignatum Amorem recinendo.* atque eodem modo explicandum est, si modo vere § 61 *labe* legitur pro *labore* i. e. *labe.* at non invenitur, ni fallor, tale huius vocis compendium. ergo nescio an praeferendum sit *rubore*, quod non solum sequentibus *sed non pudet . . . nec pudet* commendatur, verum etiam gratam efficit gradationem ab animi vituperatione ad turpitudinem, a turpitudine ad ruborem. cfr. Seneca de benef. II, 8, 2 *beneficium non est, cuius sine rubore meminisse non possum.* — His autem exemplis fretus etiam haec novavi. § 10 legendum esse censeo *cernitur* (*cernit* M *discernit* F). nam quis *cernit?* Platonem, ni fallor, intellegunt. iniuria; nam hoc si verum esset, illa *quae et ipsa* pro accusativo non modo de *dignitate naturae* sed etiam de *loci disclusione* accipienda essent. cui interpretationi totius loci sententia adeo repugnat, ut illa de naturae tantum dignitate dicta esse certo certius sit. — § 34 id quod scriptum est *ne ad inferna praecipitentur* monet, ut in opposito membro Colvio auctore legamus *ne ad superna inscendant* i. e. *inscēdat,* e quo factum est in Monacensi *incedant,* in Florentino *incedat* — § 37 ad sententiam sane accommodatum est *nisi divinitus speciem sui offerant;* sed cum codices prodant *offert*, legendum esse apparet *offer̄t* i. e. *offerunt.* — § 42 definitionem daemonum absolvi etiam Augustinus de civ. dei VIII, 16 indicat: *breviter autem,* inquit, *eos definiens ait daemones esse genere animalia.* nihil igitur magni moliendum est in illis quae mendosa in codicibus exstant *ut fine conprehendam,* sed pro *fine* legendum *finē* i. e. *definitionem.* cfr. Quintil. inst. orat. II, 15, 3 *finem artis temere comprehendit dicens esse rhetoricen persuadendi opificem;* ibidem II, 15, 6 et alibi. — § 53 scripsi quod flagitat sententia *apud Aulidem desidibus.* cfr. met. I, 24 *apud Athenas Atticas;* de dogm. Plat. I, 1 *apud Delum;* apol. c. 87 p. 97, 6 Kr. *apud villam;* met. IX, 10 *apud fani donarium.* quod codices exhibent *ab aulide* ortum esse videtur ex *apđ aulidē.* — Atque ibidem, ne verbum deesset, Kiesslingius *explorandae* perbene distraxit in *exploranda ē* i. e. *est.*

IV. His absolutis veniamus ad id mendorum genus, quod constat vocabulis aut vocabulorum particulis perperam bis exaratis; quod dittographiae nomine dictitant. duplex autem eius origo est; namque librarius oculis aberrans aut quae secuntur

anticipat aut quae antecedunt repetit. illius generis haec exempla dudum indagata sunt: § 25 *ut [se] ferocissimo Mezentio;* § 32 *aves [per] terrestre animal . . . perhibeantur;* § 47 *nullis [bonis] sedibus . . . poenitur inane terriculamentum bonis hominibus;* § 58 *non [prae] vocem . . . prae se ferebat.* atque suo iure etiam § 18 in his *in quo non mihi [quidem] tantum sed ne Platoni quidem meo quiverunt ulla verba suppetere* editio Colviana illud *quidem* omisit. nemo enim, nisi quid me fugit, Latine ita aut dixit aut dicere potuit, quoniam si priori membro additur *quidem*, ea quae tota incumbit in alterum sententiae vis prorsus infringitur. — Item quod scripserim § 51 *quae cavenda [prae]cavit et praemonenda praemonuit* me ei persuasurum esse spero, qui Apulei in his isocolorum artificiis diligentiam pernoverit *). — Neque iniuria § 57 *quam sibi [ac] divinitus editam tempestive accipiebat* (*accidebat* codd.) Wowerius *ac* voculam damnavit **). nam si qui forte Goldbachero suadente (in ephem. gymn. Austriac. a. 1868 p. 818) hoc pro *et . . . quidem* usurpatum esse existimant, et futtilem quae ab hoc loco abhorret diligentiam Apuleio attribuunt et exemplis corruptis fidem habent. illius enim loci, quem affert e met. X, 14, sententia ipsa monemur, ut legamus *at istud iam . . . ne humanum quidem cotidie te* (*ac* F φ.) *partes electiores surripere*, et *te* quam facile abierit in *ac*, ostendit illud *ac letę* in met. XI, 29 pro *teletae* a librariis scriptum. porro ut met. VII, 5 Lipsius restituit *patre aeque* (*atque* F φ.) *latrone . . . prognatus*, ita ego met. V, 6 legendum esse puto *efflictim te . . . diligo aeque* (*atque* F φ.) *ut meum spiritum.* postremo etiam id quod exstat met. IX, 25 *tum uxorem eius tacite suasi ac denique persuasi secederet paululum atque ultra limen tabernae* . . . quin gravissime corruptum sit, vel propter insanum illud *tacite suasi* dubium non est. potuit quidem excidere alterum verbum velut *abiret;* sed certi nihil affirmaverim. eieci igitur illud *ac;* sed ad enucleandum id verbum, quod latet in corrupto *accidebat*, aliquem habet usum. nimirum docet hoc initium cepisse a litteris *ac*. vera igitur non sunt quae proposuerant: *aiebat*, *asserebat*, id genus alia, sed id quod Koziolius in symb. crit. et exeget. ad Ap. scripta min. Vindobonae 1872 p. 9 commendaverat ut sententiae aptissimum *accipiebat*. neque idem in ephem. gymn. Austriac. a. 1877 p. 748 in eius locum substituere debebat *accidere edebat* vel *esse credebat*.

Alterius autem generis multo plura sunt exempla. ac primum § 7 ex his *nam de colore quid dicam? [nam] cum duo colores praestabiles forent* . . . alterum *nam* tollendum

---

*) Illud quod eodem loco codices exhibent *par contubernio familiaris* i. e. *sodalis contubernio cognitus et probatus* sententiae accommodatissimum est. contra quod Mercerus proposuit *Lar contubernio familiaris* et sententiae repugnat et propter interpositum *contubernio* displicet. item id quod paulo post scriptum est *interfectis sapientiae officiis* defenditur his locis: met. XI, 24 *crebro singultu sermonem interficiens et verba devorans;* met. V, 4 *novam nuptam interfectae virginitatis curant;* Arnobius III, 23 *interficit nocentissimum frigus.* si quid mutandum esset, omnibus ceterorum commentis praeferrem Wowerii coniecturam *imperfectis*.

**) Bis ex eiusdem Wowerii auctoritate *et* omisi § 1 *schedio [et] incondito* et § 2 *inpraesentiarum [et] quasi vobiscum parienda.* neque ignoras, quotiens haec quidem particula nata sit e distinctionis aliqua nota, cuius magna est cum illius compendio similitudo.

esse vidit Wilamowitzius. cum id ipsum statim addat Apuleius, quod dubitat quomodo dicendum sit, *nam* particula qua argumentamur locum non habet. — § 14 in his *quorum in numero sunt illi duodecim* [*numero*] *situ nominum in duo versus ab Ennio coartati* malui *numero* secludere quam Mercero auctore *numeroso* scribere. quod ipsa positione potuit Ennius duodecim nomina duobus versibus coercere, miratur Apuleius; numerosam fuisse eam nominum collocationem non facit ad sententiae pondus augendum. — Simili vitio bis inquinata sunt haec § 18 *missum igitur hunc locum faciam* . . . [*faciam*] *rebus mediocritatem meam* [*in*] *longe superantibus receptui canam.* Rohdius enim multo probabilius *faciam* excludi quam *ac iam* cum Mercero legi vidit; at idem non debebat illud *in* transponere ante *rebus*, quod merito iterata e *meam* pronomine extrema littera ortum esse Goldbachero visum est. idem sustuli § 50 in his *qui tibi queat tum* [*in*] *somniis tum signis* . . . *mala averruncare:* nam aut excludendum aut ante signis repetendum est. — § 24 vulgo legitur *at enim* . . . *pater tuus hoc iure iurando uti poterat* . . . *at* [*enim*] . . . *quis pro te deus fidem dicet?* in his alterum *enim* delevi Vulcanii editionem secutus. exigit enim hic locus simplicem oppositionem. — Paulo post § 25 codicum memoria haec est *nam et ius iurandum Iovis* [*iurandum*] *dicitur, ut ait Ennius.* Lipsius et Brantius, cum in suis codicibus nihil invenirent nisi *nam et ius iurandum dicitur*, legerunt *Iovis iurandum*, id quod ego altero *iurandum* expuncto recuperavi. nam, ut omittam ita hoc Ennii fragmentum apud Cic. de off. III, 29, 104 scriptum esse: quis umquam Romanorum pro iure iurando dixit *Iovis iurandum?* quid? quod etiam *et* particula, si vera esset codicum lectio, falso loco posita esset; ut sententia recte procederet, ante *Iovis* transponenda esset. — § 31 ita legendum esse censeo *qui aves aëri attribuet, falsum sententiae meritissimo dixeris; quippe quia* (*quę* codd.) [*aves*] *nulla earum ultra Olympi verticem sublimatur.* non coire *quae aves* et *nulla earum* omnes sentiunt. ergo nuper Koziolius in ephem. gymn. Austriac. a. 1877 p. 750 coniecit *quaequae* vel *quaecunque aves sunt*, parum illud quidem ad persuadendum accommodatum propter duplicem quem statuit hiatum. haud male olim Mercerus *quae aves* seclusit. at quoniam non *quae aves* praecedit, sed *qui aves*, nescio an probabilius sit Oudendorpio et Hildebrandio auctoribus *aves* tantum omittere et *quia* reponere. quamquam *quippe quia* prorsus certo apud Apuleium exemplo non firmatur. nam uno loco quo legitur, in apol. c. 20 p. 29, 5 Kr. *quippe quia inopia desiderio, opulentia fastidio cernuntur,* codices exhibent *qui, quia* coniecit Casaubonus. — § 42 editionem Colvianam secutus lego *ex his quinque quae commemoravi tria a principio eadem* [*quae*] *nobiscum, quartum proprium, postremum commune cum diis immortalibus habent.* nam ei, qui *eadem quae nobis*[*cum*] tuentur, non animadverterunt sequi *habent;* quod pro *nobis* exigeret *nos.* ac ne illud Augustini de civ. dei VIII, 16 testimonio firmatum putent: is dissoluta periodi conformatione haec habet *horum vero quinque tria priora illis esse quae nobis; quartum proprium, quintum eos cum diis habere commune.* contra vide quae idem IX, 13 scripsit *tria dixit eos habere nobiscum* . . . — § 49 in his *ex hac* . . . *daemonum copia Plato autumat singulis hominibus*

. . . *custodes* [*singulis*] *additos* veri similius mihi visum est *singulis* omittere quam ex editione Romana recipere *singulos*, utpote quod ad sententiam explicandam necessarium non sit. sed haec quidem hactenus de dittographiis quae vocantur.

V. Venimus nunc ad aliud sed simile genus mendorum, ad **interpretamenta in scriptoris orationem inculcata.** ac ne mireris hoc quoque modo hunc libellum commaculatum esse: et Augustini et Prisciani testimoniis constat eum cum ab aliis tum a grammaticis lectitatum esse. harum autem explicationum tria mihi genera discernere videor. primum igitur vocabula antiquiora et insolentiora, quibus uti solet Apuleius, recentioribus et usitatioribus appositis explicata sunt. ut § 8 *ore*, quod legitur in Monacensi, in archetypo adscriptum erat, ut supra dixi, ad *rictu* illud quod servavit Florentinus. — Item § 14 in his *intellectu eos rimabundi contemplamur* [*acie mentis acrius contemplantes*] ea, quae uncis saepsi, propter ipsum contemplandi verbum repetitum suspecta, haud dubie addita sunt, ut *rimabundi* explicaretur. — Deinceps § 18 ex his *quamquam plerique se* . . . *omnibus erroribus ac piacularibus* [*depravaverint*] *sceleribus inbuerint et* . . . *inmane efferarint* sustuli *depravaverint*, adiectum ad insolitum illud *efferarint* explicandum. si servatur, cum structuram commatis evertit, tum efficit, ut pro substantivo accipiatur *piacularibus* vox, cuius usus exempla desunt. ceterum cum prius *piacularis* non habeat nisi eius notionem, qui expiandi vim habeat, nove piacularia scelera pro expiandis dicta sunt; id tamen in hoc scriptore noli mirari, qui tam multa sine exemplo temptare in dicendo ausus est. — Denique § 52 lego *quis igitur tali in tempore* [*me*] *ad dicendum exhortatus est.* qui addidit *me* non intellexerat *exhortatus est* passive dictum esse. cfr. met. IX, 36 *canes pastoricios* . . . *laxari atque in eorum exitium inhortatos immitti praecepit.* atque hoc ipsum *me* documento est in archetypo revera scriptum fuisse *exhortatus est.* nimirum fuerit qui e Woweri sententia praetulerit *exortus est*, quoniam apud Homerum Nestor ut loquatur non a ceteris admoneri, sed sua sponte exsistere solet. quamquam hoc caderet etiam in Diomedem et Ulixen, qui cum ipsi voluntate speculatorum munus suscipiant, ad castra hostium exploranda delecti esse dicuntur*). — His locis duos addam, quos aliis diiudicandos relinquo. § 13 illud *severa gratia* possit videri pro interpretamento additum esse ad *torvo decore*, quippe quod audacius dictum sit. atque § 19 pro eo quod scribere ausus sum *singillatim mortales cuncti, tamen universo genere perpetui* sat manifestis rationibus ducor, ut e Lipsii emendatione legere malim *singillatim mortales, cunctim* . . . *perpetui.* hoc autem si verum est, non solum *tamen*, quod aequalitatem membrorum tollit, verum etiam *universo genere*, cum eandem quam *cunctim* sententiam prae se ferat, quandam interpolationis suspicionem habet.

---

*) Ceterum ex eis quae ibidem leguntur *qui Atridae superbiam sed et Pelidae ferociam compescat* Floridi coniecturam *sedet* removi. nam illud *sed et* prorsus e consuetudine Apuleiana esse ostendit velut hic e met. X, 6 locus *tanta indignatione curiam sed et plebem maerens inflammaverat.*

Alterum genus eorum interpretamentorum est, quibus non vocabula sed res illustrantur. haec exponam a certioribus orsus. atque § 50 in his *nihil homini* [*prae istis custodibus*] . . . *esse secreti, quin omnia . . . ille participet* id quod notavi excludendum erat, cum quia singuli tantum custodes singulis hominibus adduntur (cfr. § 49), tum quia sequitur singulariter dictum *ille participet . . . visat . . . intellegat . . . deversetur; hic, quem dico, prorsus custos* . . . — § 29 in editionibus vulgo haec feruntur *qui in aëriis plagis . . . perinde versantur ut in quacumque parte naturae propria animalia* [*in aethere volantia, in terra gradientia*]. ea quae uncis inclusi Apuleius non scripsit. nam ut praetermittam propria aquarum animalia non commemorata esse, certe Apuleius pro toto ignis elemento non nominasset aethera, quem cum liquidissimum ignis ardorem appellet, profecto eius partem tantum aliquam esse existimat. accedit quod *in aethere volantia* i. e. aves versari dicuntur: Apuleius non modo in aethere stellas comparere (§ 30), verum aves etiam terrestria animalia esse (§ 32) arbitratur. — § 30 codicum praesidio haec munita sunt *cur hoc solum quattuor elementa aëris . . . desertum a cultoribus suis natura pateretur, quin in eo quoque aëre animalia gigneret.* primum hoc loco, quoniam de uno aëre dicitur, *is aër*, quasi ab alio distinguendus sit, dici nequit. proinde omittamus *aëre*, additum scilicet ad explicandum *in eo.* an praeferes vel *in aere quoque* vel *in eo quoque, in aere?* quorum si illud probas, iustae audaciae modum transis, si hoc, verbis sat perspicuis molestam explicationem addis. quodsi illud *aëre* damnaveris, similiter ea quae praecedunt ita potius reformabis *cur hoc solum* ‖ *inter* ‖ *quattuor elementa* [*aëris*] quam repones *quartum elementum aëris* e Vulcanii coniectura, non leniore illa quidem et propter pravam structuram suspecta. — § 2 stare non possunt quae vulgo leguntur *quae* i. e. *subitaria nostra scilicet audietis pari labore quo scribimus, venia propensiore quam legimus.* opus est pronominibus relativis, ut ea sententia eveniat, quam requirit sententiarum conexus *subitaria nostra audietis pari labore quo quae scribimus, venia propensiore quam quae legimus.* sed etiamsi haec addideris, restant aliae difficultates: bis idem i. e. *quae scripta sunt* mutatis verbis dicitur et pro *scribimus*, ni fallor, *scripsimus* dicendum erat, *legitis* pro *legimus.* ergo utrumque abicere malui ad illustrandam sententiam non satis apte inventum. — Item § 15 in his *profana* [*philosophiae*] *turba imperitorum* illud *philosophiae* adscriptum est, ut qui sint *imperiti* intellegantur. Apuleius ipse *profana philosophiae*, si addere voluisset, ne periodi concinnitatem destrueret, in ceterarum explicationum ordine sicut *vana sanctitudinis* et cetera postposuisset. — Paulo post § 16 ex his *quos deos Plato existimat naturas* [*incorporalis*] *animalis* Wilamowitzius mihi persuasit *incorporalis* eiciendum esse. neque illud *naturas animalis*, quod unam notionem efficit, interiecto eo disiungi neque idem eo quod subiungitur *a corporis contagione suapte natura remotas* iterum efferri debet. — Denique § 9 nescio an tollam illud *materiae*, ut insolita haec verborum collocatio *ut cetera Latine* (*latinae* F *latina* M) *materiae persequamur* vitetur. an latet in eo substantivum eiusdem sententiae qualis est *oratio* vel *disputatio*, cui apte adiungi possit e codicum

vestigiis *Latina?* nam transpositio verborum, quae placuit Mercero et Goldbachero, mihi quidem in hoc libro parum probatur.

Tertium additamentorum genus ortum est ex aliorum scriptorum locis in margine adnotatis. velut § 46 prorsus perspicuam de εὐδαίμονος notione argumentationem misere interrumpit in codicibus versus additus e Verg. Aen. IX, 184 *dîne hunc ardorem mentibus addunt.* at, inquis, ut sententiarum ordo recte procedat, etiam sequens versus addendus est, a librariis iniuria praetermissus *Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido.* attamen ne sic quidem probus et planus sententiarum conexus exsistit, praesertim cum de dira animi cupidine Vergilius, Apuleius loquatur de bona. sed hoc verum est, eum qui alterum versum addiderit, etiam alterum voluisse adscribere, ut contrario exemplo allato illustraret haec *igitur et bona cupido animi bonus deus est.* – Item § 36 his *quodsi nubes sublime volitant* (§ 37) additi sunt Lucretii e libro VI vv. 96—98 *nonne audis quid super tonitru Lucretius facundissime disserat: principio tonitru quatiuntur caerula caeli propterea, quia concurrunt sublime volantes aetheriae nubes contra pugnantibus ventis.* qui hoc loco vel ea de causa ferendi non sunt, quod Apuleius non de tonitruum origine, sed de nubium natura disserit. — Praeterea, ni fallor, ad ea quae leguntur § 37 *ut radios omnis nostri tuoris . . . splendore reverberent* olim adnotata erant ea, quibus nunc finitur § 38 *prorsus quod Plautinus miles super clipeo suo gloriatur: praestringens oculorum aciem hostibus.* Bosscha in indice tertio editionis Oudendorpianae s. v. *prorsus* primus animadvertit probabiliter explicari non posse illud *prorsus quod.* an interpunctione ante *quod* posita coniunges *prorsus praestringens?* mihi id quod olim scriptum erat, velut *dicit illud prorsus quod* et q. s., in initio mutilatum esse videtur. quid? quod Iuturna fratri non visibilis ineptissime comparatur cum Pyrgopolinicis clipeo hostibus aciem oculorum praestringenti. et illa non solum propter splendorem non visitur, verum etiam propter rara et tenuia corporis fila; hic solo splendore adversariorum oculos occaecat. — § 57 ut non humanam, sed divinam vocem Socrati usurpatam fuisse demonstret, Apuleius haec dicit *quae* i. e. *humana si foret, frustra quaepiam, quin potius aut vox aut certe cuiuspiam vox diceretur.* qui tam definite distincteque loquitur, is, siquidem exemplo uti vult, proferre debet quod eadem verba, aut *vox* solum aut *cuiuspiam vox*, habeat. at sequitur longe aliud *ut ait illa Terentiana meretrix: audire vocem visa sum modo militis.* hoc cum aptum non sit, eieci. — His expositis certum iudicium fieri potest etiam de illis § 25 *nam et ius iurandum Iovis* [*iurandum*] *dicitur, ut ait Ennius.* si quis tali formula, qualis est *ut ait Ennius*, utitur, ipsa scriptoris verba illi solet adiungere. hic adiungi non possunt: nam antecedunt, scilicet *ius iurandum Iovis.* ergo aut transponendum aut delendum est illud *ut ait Ennius.* eis autem quae supra composui exemplis adducimur, ut hanc quoque adnotationem abiciamus, appositam ab aliquo, qui Ennii verba significari observaverat. — Denique § 56 in his *in huiusmodi rebus* [*dixit*] *vocem quampiam divinitus exortam dicebat audire* apertum est Goldbacherum merito illud *dixit* expunxisse. sed unde illatum sit, tum demum intelleges,

cum etiam illa quae secuntur *ita enim apud Platonem* tollenda esse cognoveris. tollenda autem sunt, quod omisso verbo offendunt et interrumpunt seriem sententiarum; quae ita sese excipere debent *vocem quampiam divinitus exortam dicebat audire; ne quisquam arbitretur omina eum vulgo loquentium**) *captitasse.* adscriptum igitur erat ad hanc de Socratis daemonio narrationem *ita enim apud Platonem dixit,* cuius adnotationis alibi alia pars in Apulei verba irrepsit.

VI. His absolutis restat, ut de lacunis incuria librariorum natis dicam, quod vitium quasi contrarium est explicationibus consulto additis. eius autem haec exempla iamdudum cognita sunt: § 26 *inter caelicolas* ‖ *terricolas* ‖ *que;* § 30 *terrarum* ‖ *aquarum* ‖ *flammarum;* § 31 ‖ *decem* ‖ *stadia;* § 37 *transmittant* ‖ *et* ‖ *splendore reverberent;* § 39 ‖ *hos prosperare* ‖ *et evehere;* § 57 *vocem* ‖ *quampiam* ‖ *dicat audisse;* § 60 *quin* ‖ *ut* ‖ *optime vivas;* § 66 *fortunae* ‖ *nec* ‖ *magis***). primum his ea addam, in quibus vocabulorum pars per lacunam hausta, pars servata est. § 21 in his *nullone conexu natura se vinxit, sed in divinam et humanam partem cam se* (ita codd.) *et interruptam ac veluti debilem passa est* quid sententia loci exigeret, cum omnes facile perspicerent, Mercerus *cassam,* Bosscha *sectam,* alii aliud proposuerunt. ego iteratis fere e nomine *partē* litteris lego ‖ *parti* ‖ *tam,* quod nunc etiam a Koziolio in ephem. gymn. Austriac. a. 1877 p. 748 propositum esse video. de structura verbi *patior* cfr. § 30 *cur hoc solum . . . desertum a cultoribus suis natura pateretur?* — § 23 codices tradunt hoc *quid igitur faciam, si . . . homines . . . ita in haec tartara relegantur, ut omnis sit illis adversus caelestes deos communio denegata, ne quisquam eos e caelitum numero . . . intervisat.* illud *ne* si ad *ita* refers, in leges grammaticas peccas; sin minus, sensu cassum esse concedes. quod cum viderent, veteres reposuerunt *nec,* sed propter sequens *quisquam* verisimilius est scriptum fuisse *neq;* i. e. *neque.* — § 25 quod codicum memoria firmatur *haec sola advenerat, quibus propugnabat,* etiamsi verbi *advenerat* forma activa ferri possit, tamen propter praesens tempus compositum cum imperfecto *propugnabat* sanum esse non potest. ego igitur, cum veterum commenta non satis mihi placerent, paucis litteris repetitis scripsi *advenerat' erat* i. e. *adveneratus erat.* — § 47 in his *qui ex eodem numero . . . fanis advertuntur****) illud *eodem*

---

*) Habet quo se commendet Wilamowitzii coniectura *e vulgo.* tamen interim eam recipere non ausus sum propter hos locos, e quibus illud *vulgo loquentium* satis mihi videtur explicari posse: Liv. XXI, 42, 4 *is habitus animorum non inter eiusdem modo condicionis homines erat, sed etiam inter spectantes vulgo;* et Liv. XXII, 30, 7 *fama rei gestae . . . litteris non magis ipsorum imperatorum quam vulgo militum ex utroque exercitu adfirmata.*

**) Quae vulgo § 61 addenda censent post *pingere* velut ita *sed non pudet me pictorem non esse; nescio ut Lysippus ex aere fingere,* quia Apelles non possit dici signifex, ea recipienda non sunt. nam quia ante non commemoratur nisi ratio pingendi et ratio psallendi, non exspectamus plura quam haec duo exempla Ismeniae musici et Apellis pictoris. Et hunc eodem iure Apuleius nominat significem, quo Plautus in Mercat. 314 dixit *decrepitus senex tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.*

***) Hoc *advertuntur* retinui propter simile quod sequitur § 50 *si rite animadvertatur.* quodsi sanum non esset, proponerem *aiadvertuntur* i. e. *animadvertuntur.*

non habet quo referatur. ergo cum ne *eorum* quidem a veteribus editionibus propagatum ferri possit, *hoc* et *eo* inter se, ut fieri soleat, mutata esse ratus et adsumptis ex insequenti *numero* prioribus litteris restitui *ex hoc daem* ‖ *onum* ‖ *numero*. — § 53 si verum est quod vulgo legitur *Calchas . . . simul alites et altaria et arborem contemplatus est ac tum sua divinatione . . . tempestates flexit*, propter illud *simul* Calcham uno eodemque tempore et alites et altaria et arborem observasse arbitrandum est. hoc autem huic loco vix consentaneum est. ergo ut illius voculae notionem mutes, non spernes quod in veteribus editionibus invenitur *actutum*. — § 67 vulgo legitur *te* praeter codicum testimonia addito *quin igitur et tu ad studium philosophiae te ingeris.* quod ferendum non est, quia *se ingerere* impudentis est. idem autem cadit in id quod Koziolius in ephem. gymn. Austriac. a. 1877 p. 750 coniecit *inigeris*. sententiae quidem satisfecit Rohdius scribendo *erigeris*, sed a codicum memoria probabilius esse videtur, quod extremis e *philosophiae* nomine litteris adhibitis recuperavi *accingeris*. cfr. met. IX, 18 *ad expugnandam tenacem domus disciplinam totis accingitur viribus*; et VIII, 2 *sceleri . . . accingitur*; et VIII, 30 *accingunt se meo funeri*. ceterum si quis recipere dubitat quod Ioannes Saresberiensis legit *vel properas saltem*, quae sit huius loci sententia plane non perspicit.

Atque ut vocabulorum particulae, ita etiam tota vocabula a librariis omissa sunt. § 2 conexu carent haec *quanto enim exinde orationi modificabor: vos animadverto libenter audire*. quod addidit Goldbacherus *si*, quoniam antecedit *modificabor*, ni fallor, exigit *animadvertam* pro *animadverto*. Wilamowitzius commendat *dum*. — § 11 non debebant contemnere quod Oudendorpius observaverat propter *lunam* s o l i s *aemulam* addendum esse *solem* ante *diei opificem*. ibidem in versu Lucretiano Wilamowitzius iure addidit *proprio*, quo omisso ne intellegi quidem posset *de corpore*. — § 15 in his *scrupulosissimo cultu, insolentissimo spretu deos neglegit* cum verbum ei quod legitur *neglegit* contrarium deesse sentiret, Goldbacherus in ephem. gymn. Austriac. a. 1868 p. 812 post *deos* addidit *colit aut*. at eo quod scriptum est *in superstitione . . . timida* potius timendi aliquod verbum commendatur. huc accedit quod in Monacensi ante *deos* spatium duodecim litterarum vacat. ergo illud ut explerem, scripsi ‖ *tremit istos* ‖ *deos* ‖ *vel* ‖ *neglegit*. — § 16 restitui ‖ *a* ‖ *corporis contagione remotas*. nam ita semper loquitur Apuleius, ubi addit unde quid remotum sit. cfr. apol. c. 4 p. 8, 3 Kr. *a me remota est*; et c. 22 p. 30, 11 Kr. *servis a sese remotis*; et c. 84 p. 93, 16 Kr. *a quo multum magia remota est*; de mundo prooem. p. 105, 4 Goldb. *remotarum ab oculis rerum*; de deo Socrat. § 17 *a corpore removerunt* et § 26 *a cura rerum humanarum . . . removi*. — § 31 ineptum est quod de Olympo monte dicitur *qui cum excellentissimus* o m n i u m *perhibeatur*, quasi omnibus omnino rebus altior sit. quod cum non fugeret Rohdium, *omnium* mutavit in *montium*; ego, cum et ipse hoc iamdudum cognovissem, malui addere *montium*. — Et §. 32 et § 55 *enim* particula ab Apuleio primo periodi loco posita esse creditur. at cum sexcenties solitam collocationem usurpaverit, novem tantum huius positionis exempla inveniuntur. quorum quattuor etiam

idcirco corrigenda sunt, quod sententiarum nexus hanc particulam non fert. ipse igitur nuper in act. soc. phil. Lips. vol. III p. 458 in met. IV, 8 fin. et IV, 22 init. scripsi *enim vero*. idemque reponendum est in flor. IX p. 11, 8 Kr. in his *enim vero non pigebat;* et *v̄o* facile excidit ante *nō*. postremo in apol. c. 42 p. 53, 5 Kr. Bosscha restituit *sed enim*. in eis quae reliqua sunt quinque, quamquam sententiam sanam esse concedo, tamen quoniam tot alterius generis locis repugnant, non dubitaverim sat leni medela rem expedire. atque in flor. IX p. 12, 10 Kr. et in apol. c. 18 p. 26, 9 et c. 99 p. 110, 1 Kr. et de deo Socr. § 55 lego *etenim;* sed de deo Socr. § 32 praestat *est enim*. — § 35 cum daemonum corpora simul ex utroque commixta esse ferantur, minime spernendum est quod Scaliger altero *et* addito legit *et modicum ponderis . . . et aliquid levitatis*. — § 47 quod legi solebat *hunc . . . reperio Lemurem dictitatum* ferri non poterat et propter sequentia *ex hisce Lemuribus* et propterea, quod huius nominis singulari numero Romani non videntur usi esse. atque eadem de causa probari nequit, quod Koziolius in ephem. gymn. Austriac. a. 1877 p. 749 commendat *Lemurem esse*. immo suo iure conservavit Goldbacherus quod codices exhibent *Lemurum;* lacunam quam idem indicavit ego explevi addito *nomine:* cfr. infra *nomine Manium deum nuncupant*. — § 51 illud *mirum si* non adiecta interrogandi particula dictum merito offensioni erat editoribus. ego, ut solitam formulam *quid mirum* recuperarem, addidi *quid*. — § 57 illi voci, quam audivit Socrates, eam opponit Apuleius, quam audiunt qui omina vulgaria captant. de hac autem, si codicibus fidem habemus, haec scribit *verum enim vero, ut ista sunt, certe quid omnium arioli vocem audiunt saepenumero auribus suis usurpatam, de quo nihil cunctentur, de qua sciunt ex ore humano profectam*. facile intellegimus haec, quae extremo loco leguntur, contraria esse eis, quae de daemone suo dixerit Socrates. scribendum igitur est duce Scaligero *vocem audiunt saepenumero suis auribus usurpatam* (id respondet illis *eam quiddam insolitum et arcanum demonstrat habuisse*), *de qua nihil cunctentur* (ad quod respicit hoc *in ipsa aliquid addubitat*) [*de*] *quam sciunt ex ore humano profectam* (cui opponitur postea *nescit unde ea exorta sit*). sed quinam talem vocem audiunt? scilicet ei, qui vulgaria omina colligunt. eos autem, quia mihi imponebat vir divini ingenii, diu ex Scaligeri emendatione ita significatos esse existimabam *qui hominum arioli vocem audiunt;* atque alterius membri verbum eodem modo, quo Koziolius in ephem. gymn. Austriac. a. 1877 p. 748, recuperabam iterato *audiunt*. sed illud *qui hominum*, si modo Latinum est, certe propter *hominum* prorsus supervacaneum placere non debebat. nunc igitur, cum in eis quae antecedunt saepenumero *omina* et *omnia* inter se commutata viderem, non sine aliqua, si quid video, probabilitate scripsi *ominum* ‖ *captatores* ‖. praeterea recepi quod invenerat Wilamowitzius *certe quid* i. e. *quidem* et *utut* a Stewechio indagatum, quod miror cur editoribus fere omnibus displicuerit. — § 58 procedit oratio ad novum argumentum: modo non humanam vocem a Socrate acceptam esse affirmavit Apuleius; nunc speciem etiam daemonis ei visitatam esse contendit. quod cum ita sit, non *quod*, quo leniter orationem transducimus, sed illud *quid? quod*, quo ad maiora pergimus, locum hic habet. — § 59 scripsi *qui hominibus ceteris* ‖ *tam* ‖ *ante-*

cellit, quam ipse a diis inmortalibus distat. neque enim locis ab hoc diversissimis, quos Gronovius ad Livium II, 56, 9 et alibi collegit, adducor, ut hic *tam* omitti posse mihi persuadeam. — § 63 quod legitur *sed verae beatitudinis id est secundae vitae et prudentiae fortunatissimae esurit et sitit*, ne concinnitas membrorum pereat, flagitat, ut prius quoque membrum bipartitum efferatur. quamobrem in his *fluentem illum fugitivum captat*, quae vel eo offendunt, quod alibi, quantum ego scio, non dicitur *fluens* pro *fluento*, non dubito, quin fructiferi rami, qui Tantalum eludit, aliqua lateat significatio. sed quod Lennepius proposuit *fructum* non satisfacit; mihi autem non contigit, ut verisimilius quid invenirem. praeterea pro eo quod codices exhibent *sitim* Mercerus legit *sitit;* quod ideo sprevi, quia Apuleio certe consentaneum non est idem vocabulum in his oppositis membris repetere. interim igitur lego *sitim* ‖ *patitur* ‖. — § 64 ne sententia claudicet, opus est recipere, quod Vincentius Bellovacensis servavit *ut equos,* ‖ *quos* ‖ *mercamur.* — Quae sub finem § 65 leguntur in codicibus, ea adeo corrupta sunt, ut ne sententia quidem constet. quam ex omnibus unus recte divinasse videretur Lennepius scribendo *stemma profers: avi gloria est* . . ., nisi eadem iterum efferretur eis quae secuntur *generosus est: parentes laudas.* nunc in illis Wilamowitzii sagacitas hos versus indagavit:

sate
Porthaone, gloria ‖ *avus* ‖ *est, qui talis fuit,*
ut eius nepotem non puderet . . .

quos quamvis dubitanter, quod verborum distributio non satis mihi placet, recepi propterea, quod loci sententiae congruunt. respondetur enim ei, qui prosapiae generositatem celebrat, non eum avum gloriae esse, qui generosus, sed qui honestus sit. hos autem versus Wilamowitzius sumptos esse suspicatur ex Accii Meleagro; namque *satus Porthaone* est Meleager, cui his versibus per verborum lusum sat perspicuum opprobrio habetur avus vastator. atque Porthaonis nomen ad idem artificium adhibetur etiam in eius fabulae, quam Eupolis Πόλεις inscripsit, fragm. 12 M. et apud Plautum in Menaechm. 745 et apud Polyaenum VI, 1, 6. quodsi Accius Euripidis Meleagrum intra a. 422 et a. 416 compositum expresserit, Wilamowitzio haud dissimile veri videtur, illos versus ad altercationem aliquam pertinere, qualis de honesto coniugio fuerit in fabula Euripidea; cfr. frg. 524 sqq. Dind.

Nec vero socordia modo librariorum vocabula quaedam interciderunt, verum in prooemio quod dicitur etiam consulto magna pars disputationis omissa est, quae lingua Graeca expressa erat. ac ne mireris eam consulto praetermissam esse: is qui archetypum exaravit, sermonis Graeci peritus non erat; namque in ceteris libris pauca illa, quae e Graecis scriptoribus afferuntur, ut potuit depinxit potius quam descripsit. dividitur autem prooemium in duas partes, quarum illa e §§ 1—8, haec constat e § 9; illic Apuleius ex tempore dicturus ab eis qui audituri sunt veniam petit: hic absoluta parte Graeca se transiturum esse promittit ad eiusdem orationis particulam Latinam. quae cum ita sint,

aut ante § 9 excidit locus ille Graecus aut, si non utraque pars, certe § 9 ab hoc libro aliena est. atque Lipsius quidem et qui eum secuti sunt utramque, a fine floridorum huc delapsam, seiungendam esse dixerunt. Mercerus autem aliique priorem tantum in florida relegaverunt, posteriorem pro huius libri vero prooemio acceperunt. postremo Goldbacherus, cum nuper de hac re quaestionem institueret in ephem. gymn. Austriac. a. 1868 pp. 803 sqq., quamquam concessit §§ 1—8 per argumentum suum coniungi posse cum insequenti oratione, tamen totum prooemium ab ea disiunxit, quia § 9 cum ea non coire persuasum habet. itaque, ut rem breviter comprehendam, aut priorem tantum aut utrumque locum ab hoc libello separandum esse censent. at huiusmodi sententiae primum adversatur codicis archetypi auctoritas. is enim, si Monacensi fides est*), in principio totius praefationis hanc inscriptionem habebat *Apulei Platonici Madaurensis incipit de deo Socratis feliciter* et post § 8 hanc subscriptionem *explicit praefatio; incipit de deo Socratis feliciter;* contra post § 9 subscriptio nulla erat. quae cum ita sint, tria manifesta sunt. is qui archetypum descripsit, suo exemplari ductus priorem locum libri de deo Socratis prooemium esse credidit. tum § 9 ad eandem disputationem pertinere voluit. denique haec omnia a fine floridorum avulsa esse non suspicatus est; nam id si cognovisset, floridorum finem aliqua post § 9 subscriptione indicasset. atque ut archetypi memoria, ita haec quoque ratiocinatio obstat. nam cur prior locus hinc eximatur, profecto nulla causa est, cum ipse Apuleius simulet se ex tempore hanc de deo Socratis orationem habuisse. ipse enim, id quod primus Mercerus observavit, § 38 *versum Graecum*, inquit, *si paulisper operiamini, Latine enuntiabo, atque adeo hic sit inpraesentiarum.* hunc autem si suo loco relinquimus, alterum ad florida reicere multo etiam minus probabile est. nam si cum altero etiam priorem loco movebis, quem nihil habere concedes quo offendat, iusto audacior merito audies: sin autem alterum tantum de medio tolles, quomodo in hanc ipsam commissuram incidit? an eum consulto huc delatum esse statues, ubi deest oratio Graeca, quam antecedere testatur? relinquitur igitur, ut fatearis § 9 suo loco positam, sed deperditum esse locum illum Graecum. at huius praeter ipsius § 9 argumentum ullum vestigium esse negat Goldbacherus. ac primum quidem nihil in eis, quae postea exponantur, desiderari contendit. omitto nonnunquam, maxime in § 55, respicere Apuleium ad certa daemonii signa, quae nusquam exposuerit. sed quid tractandum ipse sibi proposuisset aut ab auditoribus accepisset, nonne statim in ipso orationis exordio ei declarandum erat? nunc postquam copiosam de naturae inter deos et homines et daemones distributione quaestionem absolvit, tandem aliquando in § 45, atque id obiter, memorat se haec disserere, quo plenius de deo Socratis cognoscant. praeterea nullus, inquit, in oratione Latina inest locus, qui ad partem illam Graecam referri debeat. non fugit sane eum

*) Florentini in his rebus fides nulla est. in initio enim prooemii deest inscriptio. quod legitur ante § 9 *Apuleii Madaurensis de deo Socratis liber. I. incipit. prolocutio*, si non plane fictum et futtile, at certe mutilatum est, quoniam § 9 pro prolocutione profecto haberi nequit; videtur *explicit* excidisse ante *prolocutio.* quod autem invenitur ante § 10 *narrationis exordium*, hoc non potest non esse ficticium.

quod legitur § 46 *unde nonnulli arbitrantur, ut iam prius dictum est,* εὐδαίμονας *dici beatos, quorum daemon bonus id est animus virtute perfectus est* idque in eis, quae servata sint, non commemoratum esse confitetur. neque iam interpolati codicis Florentini lectionem *iam diu*, quam antea defenderat, in editionem suam recepit, sed id quod et per se commendatum et Monacensis fide munitum est *iam prius.* attamen etiamnunc propter passivum *dictum est* dubitare videtur, utrum haec Apuleius ipse an alius quis dixerit. iniuria: neque enim in tam levi causa ad alienam sententiam provocamus; quasi operae pretium sit hanc εὐδαίμονος interpretationem invenisse. atque passive Apuleius de se ipso locutus est etiam § 30 *cum totiuga sidera, ut iam prius dictum est* (cfr. § 13), *sursum in aethere . . . compareant.* porro ne excogitare quidem potest Goldbacherus, quale fuerit illius loci Graeci argumentum. quod haec ipsa de εὐδαίμων voce adnotatio Mercerum adduxit ut vere divinaret. *nam videtur,* inquit, *Apuleius in oratione Graeca proposuisse quaestionem, quid et quale esset Socratis daemonium, et varias de eo veterum opiniones recensuisse, quorum alii* ὄψιν θεοῦ, *quidam* φωνῆς τινος αἴσθησιν *aut* λόγου νόησιν *aut* πληγὴν τῆς ψυχῆς, *nonnulli etiam* κληδόνα *aut* πταρμόν, *alii aliud quid fuisse dicerent . . . . deinde in Latina decisionem eius quaestionis aggressus similibus pigmentis illustravit, ut et vere dicat quaestionis mediam partem explicitam sermone Graeco . . .* hinc autem facile intellegitur, cur e Graeca dissertatione nullum locum Augustinus commemoret. nam hoc quoque miratur Goldbacherus. scilicet id ille agit, ut ipse Goldbacherus perspexit, ut Platonicorum de daemonibus sententias illustret. has autem, si recte eius argumentum definivit Mercerus, non in Graeca oratione Apuleius exposuerat: sed ex Latina haurire poterat Augustinus. ceterum ne tibi offensioni sit sermo Graecus cum Latino in eodem libro copulatus: domesticum hoc erat Apulei artificium. nam in flor. XVIII p. 31, 23 sqq. Kr. ipse testis est de hymno in honorem Aesculapii et dialogo similiter Graeco et Latino.

Index locorum.

De deo Socr. § 1 = p. 30 adn.
- - 2 = - 30 adn.; 33; 36.
- - 4 = - 24 sq.
- - 6 = - 25.
- - 7 = - 30.
- - 8 = - 23; 32.
- - 9 = - 33; 38 sqq.
- - 10 = - 25; 29.
- - 11 = - 26; 36.
- - 13 = - 26; 32.
- - 14 = - 26; 31; 32.
- - 15 = - 33; 36.
- - 16 = - 33; 36.
- - 17 = - 23.
- - 18 = - 26; 30; 31; 32.
- - 19 = - 32.
- - 20 = - 26.
- - 21 = - 23; 26 adn.; 35.
- - 22 = - 26.
- - 23 = - 35.
- - 24 = - 31.
- - 25 = - 26; 31; 34; 35.
De deo Socr. § 26 = p. 27.
- - 28 = - 27.
- - 29 = - 27; 33.
- - 30 = - 33.
- - 31 = - 23; 31; 36.
- - 32 = - 36.
- - 33 = - 27; 29.
- - 34 = - 29.
- - 35 = - 37.
- - 36 = - 27; 34.
- - 37 = - 27; 29; 31.
- - 38 = - 28.
- - 40 = - 23; 29.
- - 41 = - 23.
- - 42 = - 29; 31.
- - 43 = - 23; 28.
- - 46 = - 34; 40.
- - 47 = - 27; 35; 37.
- - 48 = - 28.
- - 49 = - 31.
- - 50 = - 31; 33; 35 adn.
- - 51 = - 30; 37.
De deo Socr. § 52 = p. 29; 32.
- - 53 = - 29; 36
- - 54 = - 28.
